



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sponsalia Et Matrimonium**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1726**

Titulus XIV. De Consanguinitate, & Affinitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

## TITULUS XIV.

## De Consanguinitate, &amp; Affinitate.

Inter Conjugiorum Impedimenta, sive antiquitatem, sive frequentiam consideremus, ex præcipuis est *cognatio naturalis*,

seu *Consanguinitas*, & ex copula conjugali orta *Affinitas*. Utriusque natura, & vis explicanda venit hoc Titulo.

## §. I.

## De Consanguinitate.

## SUMMARIUM.

1. Consanguinitatis Definitio.
2. &c. Hujus explicatio.
8. 9. 10. Divisio triplex.
11. Linea Consanguinitatis.
12. Recta alia est Ascendentium, alia Descendentium.
13. Obliqua alia equalis, alia inequalis.
14. Gradus quid sint?
15. Quomodo computentur Jure civili?
16. 17. 18. Quomodo Jure Canonico?
19. Computatio Civilis observanda est in successibus hereditarijs, tutelis &c. Canonica in Matrimonijs.
20. Inter consanguineos primi gradus in linea recta Matrimonium est Jure nature illicitum.
21. 22. 23. Et invalidum.
24. 25. 26. Nisi in casu, quo deficientibus omnibus alijs hominibus, superesset solus pater, & filia, aut sola mater, & filius.
27. 28. 29. Prohibitio hæc probabilis in aliquo gradu terminatur.
30. In quo terminetur?
31. Respondetur terminari in primo gradu.
32. Quamvis in ulterioribus lineæ rectæ, absque justa causa, sint illicita Matrimonia,

33. Hinc dicendum, in his gradibus Matrimonium irritum esse solo Jure positivo Ecclesiastico.
34. &c. Et quidem in infinitum.
38. &c. Non omnia Matrimonia, quæ contrahuntur in gradibus, prohibitis in Levitico, Jure naturali sunt irrita.
44. &c. In linea transversa nullum Matrimonium est Jure naturali irritum.
46. &c. Etiam contractum inter fratrem & sororem.
49. 50. 51. Jure Ecclesiastico in hac linea irritum est conjugium usque ad quartum gradum inclusive.
52. 53. 54. Quæ prohibitio convenientissimè facta est.
55. &c. Et extenditur prohibitio ista etiam ad consanguinitatem, ortam ex copula illicita.
58. &c. In linea inequali distans à communi stirpe ultra quartum gradum contrahere Matrimonium potest cum eo, qui distat ab eodem intra quartum.
60. &c. Et procedit hoc, etsi iste etiam distet primo.
62. 63. Pœna contrahentium incestuosas nuptias.
64. 65. Quæ ignorantia ab hac excuset?

**Q**uæritur 1. quid sit Consanguinitas? *Consanguinitas* est quasi sanguinis unitas; quia qui consanguinei sunt, ab eodem communi sanguine descendunt, prout habetur *caus. 35. q. 5. in Declarat. Arbor. Consang.* Definitur communiter, quod sit *Vinculum*, seu propinquitas personarum, quæ ab eodem stirpe, sive propinquo progenitore, aut earum una ab altera per carnalem propagationem descendunt. Ita S. Thom. in 4. dist. 40. q. un. art. 1. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 6. n. 1. Sanch. l. 7. de matr. D. 50. n. 1. Gutier. de matr. c. 93. n. 1. Conink. D. 32. n. 1. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 4. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 1. Canif. ad Rubr. b. tit. n. 3. Barbol. ibid. n. 6. Gonzal. in c. 5. eod. n. 6. pr. Vallens. hic §. 1. n. 1. Zael. n. 1. Honor. n. 1. Engl §. 1. n. 1. Pirhing n. 1. König n. 2. Schambog. n. 2. Wiertelner n. 1. Magnif. P. Schmier p. 3. de matr. c. 3. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

n. 1. & cæteri tum TT. tum Canonistæ pleno agmine.

Dixi 1. *Vinculum*; qui enim Consanguinei sunt, habent inter se naturalem quandam nexum, ex unitate, & communionem sanguinis resultantem: eaque de causa 1. dicuntur *Consanguinei*; quia eodem propinquo sanguine geniti, & inter sese connexi sunt l. *intestati* 1. §. *consanguineos* 10. ff. de Suis, & legit. hered. 2. *Propinqui*, tanquam proximè sibi invicem conjuncti l. *Lucius* 47. ff. de hered. petit. quia se invicem sanguine contingunt l. *vel si* 12. ff. de manumiss. vindict. 3. *Cognati*, quasi unâ, communiterve nati, vel ab eodem progeniti l. *sciendum* 1. ff. de inoffic. testam.

Dixi 2. *Personarum*; quia hoc vinculum propriè tantum datur inter homines, qui soli sanguinis conjunctione, & benevolentia devinciri inter se Charitate possunt, in qua

Qq

qua

qua conjunctione, ut Cicero l. 1. de Officijs notat, vinculum consanguinitatis consistit: & hinc inter bruta animalia, sicut non datur verus amor, societas, & amicitia, sic etiam non datur Consanguinitas, tanquam fons, & radix amoris, societatis, & amicitiae, licet illa ab eodem stipite procedant. S. Thom. l. cit. ad 5. Sanch. n. 1. cit. Clericat. de Sacr. Matr. decis. 22. n. 3. Magnif. P. Schmier n. 3.

4 Dixi 3. Ab eodem stipite: stipites dicitur illa persona, à qua reliquæ, de quarum Cognatione quæritur, descendunt, & in qua tanquam prima, & una radice conveniunt, v. g. si de duorum fratrum filijs quæritur, quoto gradu inter se distent, stipites communis est Avus illorum, non autem unus ex fratribus, qui quidem genuit suum, non verò alterius fratris filium: ex Avo ergo mediâ, tanquam ex radice duorum fratrum filij descendunt. Engl hic §. 1. n. 5. König n. 5. Reiffenstuel n. 7.

5 Dixi 4. sive propinquo progenitore, cujus scilicet generationis gradus numerari, & distingui possunt, cujusque virtus in descendentibus perseveret, Engl l. cit. n. 2. Ex quo sequitur, quòd non omnes homines inter se sint consanguinei; quia esto, quòd omnes ab uno stipite remoto, scilicet Noë, & Adamo descendant, non tamen descendunt omnes ab uno, sed diverso stipite, & Progenitoribus propinquis. Ratio est, quia Consanguinei dicuntur, qui participant de eodem sanguine; hæc autem participatio, quò in plures generationes descendentes derivatur, eò debilior, & imperfectior redditur, ut tandem cum ipsa etiam ratio consanguinitatis evanescat: quo sensu loquitur Isidorus in can. un. caus. 35. q. 4. Procedit autem hæc ratio inter Collaterales tantum; quia in linea recta ascendentium, & descendentium, quantumcunque isti inter se distent, semper tamen verum est, quòd unus ab altero sanguinis communicationem acceperit: & sic Proto-Parens Adam omnium suorum Posterorum verè adhuc Cognatus est. König hic n. 2. Reiffenstuel n. 3. ibid.

6 Dixi 5. Aut earum una ab altera: quæ verba multi omittunt; quia ut ajunt, definitio solum datur pro Consanguinitate, quæ est ordinaria, & inter Adami posteros datur. Si tamen velimus comprehendere Consanguinitatem omnem, quæ propriè talis est, necessarium est particulas istas adjicere. Et sic patet, cur Consanguinei sint non solum Abel, & Cain, sed etiam isti, & Adam; etsi enim isti non descendant ab ullo communi stipite, descendit tamen unus eorum ab altero, Cain scilicet ab Adamo, per propagationem carnalem.

7 Dixi 6. Per Carnalem propagationem: & hinc sequitur, quare non sint consanguinei inter se Angeli, & homines, Adam, & Eva; sint autem Consanguinei Christus,

& B. V. Ratio est; quia Angeli, & homines quidem descendunt ab eodem omnium Creditore DEO, & Eva ab Adam, utpote sumpta ex ejus costa, non tamen per propagationem carnalem, per quam tamen, licet prorsus extraordinariam, utpote factam sine cooperatione viri, descendit Christus à B. V.

Quæritur 2. Quotplex sit Consanguinitas: & Consanguinitas 1. dividitur in Naturalem tantum, & in Naturalem, & Civilem simul. Naturalis tantum est, quam sola natura, non autem Lex novit, aut approbat, vel quæ ex sola foemina æstimatur l. non facile 2. §. cognationis 2. ff. de gradib. & affinit. & talis est Cognatio servilis, de qua tit. de Cognat. Servil. Inst. & Cognatio concubinaria, aut fornicaria §. cognationis cit. & l. si spurus 4. ff. unde Cognat. Naturalis, & Civilis simul, quam etiam approbat Lex positiva: & talis est, quæ inter homines liberos descendit ex concubitu licito, post justas nuptias habito §. cognationis cit. König hic n. 3. Reiffenstuel n. 4. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 9. §. 10. In ordine ad Matrimonium contrahendum diversitas hæc non attenditur; quia ut l. adoptivus 14. §. serviles 2. ff. de rit. nupt. Ictus loquitur, in contrahendis Matrimonij naturale Jus, & pudor inspiciendus est, & quòd ad Jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt. l. quòd attinet. 32. ff. de R. J.

Dividitur 2. In Consanguinitatem strictè, & civiliter acceptam, & in acceptam latè, ac naturaliter. Si strictè, & civiliter accepta comprehendit tantum fratres ex eodem patre genitos, & qui ab his descendunt, sive deinde sint mares, sive feminae: & hinc triplicis generis fratres habentur, Consanguinei tantum, qui communem solummodo patrem, Uterini tantum, qui Matrem tantum communem, & diversum patrem, & denique Germani, qui & patrem, & matrem communem habent. Latè accepta Consanguinitas complectitur omnes, qui sanguinis sive paterni, sive materni communionem habent. Huic divisioni affinis est, quæ consanguinitas.

Dividitur 3. In Cognationem, & 10 Agnationem. Cognatio est propinquitatis inter personas, per lineam fæmineam sibi invicem conjunctas: qui proinde Cognati dicuntur. Agnatio verò est propinquitatis inter personas, per lineam masculinam sibi invicem conjunctas: qui idcirco dicuntur Agnati. In præsentî materia nihil interest, Cognatus, an Agnatus quis appelletur c. tua nos 7. c. non debet 8. §. prohibitio h. tit. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 6. n. 2. nam omnes consanguinei intra quartum gradum, sive per lineam fæmineam, sive per masculinam conjuncti sint, à Matrimonio inter se contrahendo arcentur.

Quæ-

11 Quæritur 3. Quid sit *Linea Consanguinitatis*, & quotuplex? *Linea* est ordinata series personarum ab uno stipite descendentiū, gradus continens, & cognationes distinguens. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 50. n. 2. Gutier. c. 92. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 2. Gonzal. in c. 5. h. tit. n. 7. fin. Zoel. hic n. 2. Engl. §. 1. n. 5. König n. 5. *Linea*. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 16. & alij communiter. Duplex est, *Recta*, & *Transversa*, sive *Collateralis*.

12 *Recta Linea* est, quæ continet eas personas, quarum una ab altera finem ducit: & hinc quia personæ istæ sunt duplicis generis, *Ascendentes*, & *Descendentes*, etiam duplex subdividitur *Linea Recta*, quarum una est *Ascendentium*, seu *Superior*, & continet personas illas, à quibus aliæ originem ducunt, uti est pater, avus, proavus, & aliæ personæ ascendentes in infinitum. Altera *Descendentium*, seu *Inferior*, & continet personas illas, quæ ab Ascendentibus originem trahunt, uti sunt filij, nepotes, pronepotes, & omnes ceteri Descendentes in infinitum.

13 *Linea Transversa*, seu *Collateralis* est, quæ continet illas personas, quarum omnes quidem ab uno communi stipite, seu progenitore, neutra tamen earum procedit ab altera. Et hæc iterum duplex est; subdividitur enim in *Lineam Transversam æqualem*, & *inæqualem*. *Æqualis* est, quando illi, de quorum consanguinitate quæritur, à communi stipite distant æquali numero graduum, ut sunt duo fratres, quorum uterque uno à patre, duo patruales, quorum uterque duobus gradibus ab avo, qui communis ipsorum stipites est, distat. *Inæqualis* est, quando personæ, de quarum consanguinitate quæritur, à communi stipite distant inæquali numero graduum, ut sunt Titius, ejusque nepos ex fratre; nam prior uno, posterior duobus gradibus distat à patre Titij, qui communis utriusque est stipites.

14 Quæritur 4. Quid sit *Gradus*, & quomodo computandi? *Gradus* est distantia unius personæ ab altera in eadem *Linea consanguinitatis*, quæ cognoscitur, quæ persona ex duabus, vel pluribus consanguineis sit proprii communi stipiti. Sanch. l. 7. de Matr. D. 50. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 4. n. 3. Perez D. 2. de Matr. sect. 1. n. 4. Gobat. Exper. tr. 9. n. 157. Engl. hic §. 1. n. 5. Pirhing n. 3. König n. 5. *Gradus*, autem dicuntur à similitudine *scalarum*, locorumve proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eò nascitur, transcamus, ut l. fin. §. *Gradus* 10. ff. de Gradib. & Affinib. *ICtus* loquitur.

15 Porro *Gradus* aliter computantur Jure Civili, aliter Jure Canonico. *Jure Civili* R. P. Schmalzgrueber L. IV.

distantia Consanguineorum tam in *linea recta*, quam in *transversa* cognosci potest ex unica Regula; nam hoc Jure tot gradibus distant duo consanguinei inter se, quot inter ipsos intercedunt generationes; vel quod in idem recidit, tot distant inter se gradibus, quot sunt personæ, stipite dempto. Ex quo sequitur 1. In *Linea recta* Titium filio suo conjunctum esse in primo gradu, nepoti secundo, pronepoti tertio &c. quia inter Titium, & filium ejus intercedit una generatio, duæ inter eundem, & ipsius nepotem, tres inter pronepotem &c. Sequitur 2. In *Linea transversa* æquali duos fratres conjunctos sibi esse in gradu secundo, nepotes, & neptes in quarto, pronepotes, & proneptes in sexto; quia totidem inter eos numerantur generationes, ascendendo ab uno illorum ad communem stipitem, & ab hoc ad alterum descendendo. Sequitur 3. In *linea transversa inæquali* fratrem, & ejus ex fratre nepotem distare à se invicem tribus gradibus, filium verò unius fratris, & alterius fratris nepotem quinque; quia ab uno ad alterum per communem stipitem progrediendo tot numerantur generationes.

Pro computatione Graduum Canonica tres dantur, quotidiano usu approbata, Regula. Prima pro *Linea Recta ascendentiū*, & *descendentiū* sic habet: Tot gradibus ascendentes, & descendentes inter se distant, quot inter se intercedunt generationes; quæ ipsa est regula pro computatione Graduum Civili n. præc. data; cons. quoad graduum computationem in *Linea recta* Jus Canonicum concordat cum Civili S. Thom. in 4. dist. 40. q. un. art. 2. Sanch. D. 50. cit. n. 4. Conink D. 32. n. 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 3. Gonzal. in c. 2. h. tit. n. 3. Zoel. hic n. 4. Engl. §. 1. n. 7. Wiestner n. 11. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 25. & teste Sanch. l. cit. universi TT. & Juris utriusque Interpretes, saltem quoad rem. Ex quo sequitur, Titium, & ejus filium distare à se invicem uno gradu, duobus eundem à suo nepote, tribus à pronepote; quia inter ipsum, & filium ejus una solum intercedit generatio, inter eundem, & nepotem suum duæ, inter pronepotem tres.

Secunda Regula est pro *Linea Transversa æquali*, & sic exponitur: In *linea transversa æquali consanguinei collaterales* tot gradibus distant inter se, quot gradibus distat uterque à communi stipite. Traditur hæc Regula can. ad sedem 2. & can. parentele 4. caus. 35. q. 5. Ratio illius est, quia cum hujusmodi personæ non conjungantur inter se, nisi ratione stipitis, à quo communem sanguinem acceperunt, non possunt inter se magis, aut minus distare, quam distent à stipite. Ex quo sequitur, fratrem à fratre distare uno solummodo gradu, patrualem ab alio suo patruale duobus, filium patruelis ab alio filio

alterius patruelis tribus &c. nam totidem gradibus quilibet illorum distat à stipite, seu patre communi omnium, Sanch. D. 50. cit. n. 5. Gonzal. in c. 5. h. tit. n. 8. cum alijs *suprà*.

18 Tertia est pro Linea transversa inæquali; nam in hac totidem gradibus duo distant inter se, quot gradibus eorum remotior distat à communi stipite. Statuitur hæc Regula c. fin. h. tit. & ratio est, quia cum adæquata ratio, ut n. præc. dixi, propinquitatis, ac distantie collateralium inter se sumatur per ordinem ad proximum stipitem, in quo ununtur, nequit unus conjunctior esse alteri illorum, quam sit conjunctus communi stipiti, esset autem conjunctior, si ad hanc distantiam computandam propinquioris foret habenda ratio. ergo convenit, ut quo gradu remotior est conjunctus stipiti communi, eo gradu sit conjunctus viciniore. Ex quo iterum sequitur, Titij filium, & ejus ex filio nepotem consanguineos esse in secundo gradu; quia hic alter, videlicet nepos Titij, qui remotior est à Titio, ab eodem Titio distat duobus gradibus: contra ejusdem Titij filius ab ejusdem ex alio filio suo pronepote distat tribus gradibus; quia totidem gradibus pronepos Titij distat à Titio. Sanch. n. 6. Palao n. 3. Perez n. 7. Pirhing n. 6. Schambog. n. 4. Wiestner n. 13.

19 Porro Computatio Graduum Juris Civilis observanda est tam in foro Sæculari, quam in Ecclesiastico, quando agitur de Successionibus hæreditarijs, Tutelis &c. Computatio verò Juris Canonici in Matrimonijs, Paludan. in 4. dist. 40. q. un. art. 3. concl. 9. n. 20. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 14. §. 2. concl. 3. Alex. de Nevo in c. fin. h. tit. n. 5. Angel. V. Matrimonium 3. imped. 6. pr. Carrer. l. 2. de Sponsal. c. 3. fin. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 6. n. 8. Sanch. D. 50. cit. n. 8. Palao p. 7. cit. n. 5. Barbosa. in c. fin. cit. n. 4. Gonzal. in c. 2. eod. n. 3. & in c. 5. n. 8. fin. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 2. §. 5. n. 15. & clarè ostendit Alexander II. can. ad sedem. 2. caus. 35. q. 5. ubi hujus diversitatis rationem dans, Quia, inquit, hæreditates non possunt deferri, nisi de una ad alteram personam, idcirco curavit Sæcularis Imperator (ut qui graduum dimensionem fecit propter successiones hæreditarias) in singulis personis præfigere singulos gradus. Quia verò nuptiæ (propter quas tanquam causam Ecclesiasticam Jus Canonicum gradus dinumerat) sine duabus personis fieri non valent, ideo Sacri Canones duas in uno gradu personas constituerunt.

20 Queritur 5. Quo Jure illicitum, & irritum sit Matrimonium inter primi gradus consanguineos lineæ rectæ, scilicet inter patrem, & filiam, matrem, & filium? Patet satis, hujusmodi Matrimonium Jure naturæ esse illicitum; hoc enim apertè 1. ostendit naturalis instinctus, non solum omnium

Gentium bene institutarum, sed etiam beluarum non paucarum, quæ ab hujusmodi conjunctione abhorrent, ut testis est Aristoteles l. 9. Hist. anim. c. 47. & Plin. Hist. nat. l. 8. c. 42. ut proinde Persæ, permittentibus conjugia matrum cum filijs, apud Pont. l. 7. de Matr. c. 31. n. 4. merito reprehendantur, tanquam gens barbara, & prævaricatrix Juris, mortalium animis à natura infiti. 2. Reverentia, & submissio, parentibus debita à liberis, cui æqualitas, quæ inter conjuges per Matrimonium inducitur, & mutua inter eos familiaritas, ac jus in corpus, ipsaque actus conjugalis turpitudine maxime adverteratur, ut insinuat Paulus I. C. l. adoptivus 14. S. serviles 2. fin. ff. de rit. nupt. asserens, contra pudorem esse, filiam uxorem suam ducere. 3. Defectus exempli; neque enim usquam legitur, conjugium hujusmodi unquam fuisse vel à DEO permittum, vel ab Ecclesia toleratum.

Difficultas est, an idem conjugium, 21 inter consanguineos primi gradus in linea recta contractum, eodem Jure naturali etiam sit invalidum. Nam 1. Argumenta n. præc. allata videntur solum probare, quòd sit illicitum, constat autem multa esse prohibita, quæ tamen acta valent, prout patet in Matrimonio contracto ab aliquo, qui ligatus est Voto Simplici Castitatis; nam etsi iste illicitè contrahat Matrimonium, contrahit tamen validè. 2. Tale Matrimonium nec naturæ, nec fini Matrimonij videtur adverteri: non naturæ illius; quia etiam inter ita conjunctos fieri potest traditio corporum ad individuum vitæ societatem, in quo consistit substantia Matrimonij: non fini ejusdem; quia ex tali Matrimonio potest generari proles, qui est finis illius primarius. 3. Quod contra Jus naturæ est, statim, ubi objectum est intellectui, exiguo, vel nullo discrimine tale apparet, & ab omnibus rectè institutis tale judicatur. atque tale multis visum non est Matrimonium inter consanguineos primi gradus; nam Diogenes, & Chrysippus acuti Philosophi statuebant illud non esse contra Jus naturæ, argumento à brutis animalibus ducto: Socrates verò nihil in illo culpandum invenit præter ætatis disparitatem, unde aut sterilitatem, aut malè conformatam sobolem sequi dicebat. 4. Reverentia, & submissio, quam filij parentibus debent, non obstat, quo minus alij contractus inter illos celebrari possint, & filij fieri parentibus superiores, ut si fiat Rex, Episcopus &c. ergo nec obstat, quin per Matrimonium possint inter se fieri æquales. 5. Non omnes Gentes, lumine naturali ductæ, reprobant Matrimonia parentum cum liberis, ergo quia saltem Jure naturæ illud validum est.

Sed dicendum, Matrimonium inter patrem, & filiam, matrem, & filium Jure naturæ etiam invalidum esse. Ita cum S. August.

August. *Epist. 66. ad Paternum, & S. Thom. in 4. dist. 40. q. un. art. 3. Corp. tradunt Henric. l. 12. de Matr. c. 9. n. 3. Valent. 4. p. D. 10. q. 5. p. 3. Sanch. l. 7. de Matr. D. 51. n. 7. Gutier. c. 98. de Matr. n. 13. Coninek D. 32. n. 13. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 8. Fagnan. in c. 5. b. tit. n. 32. Gonzal. in c. 5. eod. n. 9. pr. & communius omnium ceterorum sententia. Ratio est, quia homo, cum non habeat sui corporis absolutum dominium, non potest illud alteri validè tradere, nisi quo modo DEUS naturæ Author, & primus Matrimonij institutor concessit; non est autem ullo modo credibile, quòd DEUS concesserit potestatem transferendi dominium sui corporis ad eum usum, qui est summè inhonestus, & quem recta ratio summè detestatur: talis autem, ut ex Argumentis n. 20. allatis constat, est usus Matrimonij inter patrem, & filiam, matrem, & filium, ergo &c.*

<sup>23</sup> Ad Argumenta contraria facilis est responsio. Ad 1. Negatur paritas; quia copula carnalis inter tales personas, quæ ligatæ sunt Voto simplici Castitatis, secundum se non est turpis, & illicita, sed solum per accidens, & ratione Voti: est autem secundum se semper turpis, & illicita copula inter consanguineos primi gradus. Ad 2. Matrimonium inter consanguineos primi gradus in linea recta non adversatur quidem substantiæ Matrimonij, & fini illius omnino, & simpliciter; adversatur tamen debito ejus ordini, & convenientiæ, cum illud natura horreat: ex quo meritò inferimus, quòd ejus contrahendi potestatem DEUS naturæ, & Matrimonij primus institutor negaverit. Ad 3. Quid Jure naturæ vetitum, vel permissum, validum, vel invalidum sit, desumi debet ex judicio hominum, qui sana, rectaque mente sunt præditi: hinc, ut bene Andronicus Rhodius, *Si bis, qui morbo, distortoque sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet; nam nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideo, quòd egrotis aliter videtur.* Ad 4. Judex, & Episcopus funguntur autoritate publica, maritus vero autoritate privata: non implicat autem eundem secundum diversa superiorem, & inferiorem esse; implicat verò inferiorem, & superiorem esse quoad idem: quod fieret, si mater Matrimonium contraheret cum filio; quia tanquam mater respectu filij, ac gubernationis domesticæ esset superior, tanquam uxor inferior, & subjecta filio, tanquam marito suo. Ad 5. Gentibus illis oppono Gentes alias melius institutas, quæ nuptias hujusmodi nefandas existimârunt. Persæ ob violatam hanc naturæ Legem, ut Pbilo notat, DEO dederunt poenas perpetuis bellis, & fratrum cœdibus.

<sup>24</sup> Queritur 6. An ejusmodi conjugium patris cum filia, aut matris cum filio ulci-

tum sit etiam casu, quo deficientibus omnibus alijs hominibus, superesset solus pater, & filia, aut sola mater, & filius, adeoque ad conservandum genus humanum, ne totum interiret, necessarium esset ipsos conjungi in Matrimonium? Triplex est Sententia.

*Prima cum Cajet. 2. 2. q. 54. art. 3. Conink D. 32. n. 14. Hurtad. de Matr. D. 13. n. 7. ait, etiam tali casu conjugium fore illicitum, seclusa speciali dispensatione Divina. Rationem dant; quia conjugium inter ejusmodi primi gradus consanguineos etiam eo extremæ necessitatis casu non convenit cum pietate in parentes, & cum reverentia, ac submissione, quam filia patri, & matri filius debet.*

*Secunda cum Perez D. 28. scilicet 2. n. 11. negat ad ejusmodi conjugium ullo extraordinariæ, & extremæ quoque necessitatis casu dispensari à DEO posse: ad quod probandum inducit paritatem cum odio DEI, perjurio, & mendacio, qui actus, quia intrinsicè mali sunt, & à ratione naturali alieni, nullo casu, modòve honestari possunt. atqui non minùs intrinsicè malum, & naturæ repugnans est conjugium patris cum filia, aut matris cum filio, ergo &c.*

*Tertia Sententia, & probabilior est, 25* quæ concedit tali casu conjugium ejusmodi, etiam non interveniente speciali relatione, aut dispensatione Divina, fore licitum. Ita Sor. in 4. dist. 40. q. un. art. 3. Vercrux p. 1. *Specul. art. 34. ante concl. 2. Palacios dist. 40. cit. D. un. col. 24. fol. 926. Henriq. l. 12. de Matr. c. 9. n. 3. Valentia p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. §. quarto convenit. Sanch. l. 7. de Matr. D. 5. n. 10. Gutier. c. 98. de Matr. n. 14. §. 15. Pontus l. 7. c. 31. n. 5. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 1. §. veruntamen, Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 8. Pirhing hic n. 8. Schambog. n. 8. Wiestner n. 20. quibus non obicere favent S. Chrysof. hom. 44. in Genes. & S. Ambros. l. 1. de Abrahami c. 6. ubi filiarum Loth cum isto concubitu excusant à culpa, quòd Sodomâ cum reliquis civitatibus sulphureo igne deleta, existimârunt, non superesse alium virum, qui humani generis propagationi deservire posset. Ratio est, quia reverentia, & submitio illa, quam filij parentibus debent, est minus, & inferioris ordinis bonum, quàm sit propagatio, & conservatio totius humani generis, atqui minus, & inferioris ordinis bonum cedit majori bono, ergo casu, quo conjugium ejusmodi unicuique ad humani generis conservationem medium foret, reverentia, & submitio parentibus debita cederet bono propagationis, & conservationis humani generis, tanquam bono communi, & publico.*

Ex quo patet ad *Argumentum prima 26* Sententiæ; quia aliqualem illam diminutionem reverentiæ, & submissionis parentibus debitæ satis coonestaret, & conjunctionem

ejusmodi licitam redderet totius generis humani ab interitu vindicatio, quippe cum diminutio illa sit minus malum, & evitatio majoris mali cohonestet id, quod est minus malum, nisi hoc sit omnino, & simpliciter ita malum, ut nullo casu cohonestari possit, ut communis docet cum S. Thom. 1. 2. q. 1. 9. art. 6, ad 3.

*Ad Argumentum secunde Sententie* non est paritas odij DEI, perjurij, & mendacij cum tali conjugio; quia actus illi absolute sunt mali, conjugium autem cum certis personis prohibitum homini est, quatenus DEUS, qui humani corporis Dominus est, illud prohibet, igitur sicut Polygamia ex permissione Divina licita fieri potest, ita etiam conjugium patris cum filia, aut matris cum filio; nam si Evam sumptam ex costa Adami eidem tradere in uxorem poterat, quare non etiam filiam patri, aut matrem filio?

27 *Queritur 7.* An prohibitio, & irritatio Matrimonij inter Ascendentes, & Descendentes, Jure naturali inducta, protrahatur ad quemcunque gradum in infinitum? Affirmant Conink D. 32. n. 16. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 2. Canif. in c. 3. h. tit. n. 13. Vallens. §. 1. hic n. 6. Zœf. n. 6. Pirhing n. 9. Schambog. n. 9. Reiffenstuel n. 27. & plurimi alij apud Sanch. l. 7. de Matr. D. 51. n. 12. ex quorum proinde Sententia Adam, si hodie resurgeret, non reperiret, quam ex omnibus extantibus posset ducere uxorem, utpote qui communis universi generis humani parens existit. *Rationem dant 1.* Quia Matrimonium inter parentes, & liberos natura respuit ratione reverentiae, quae illis ab his debetur, atqui non minor, imò major subiectio, & reverentia debetur Ascendentibus, & tanto major, quò ascendens remotior est, ergo &c. *2.* Omnes Ascendentes respectu Descendentium habent rationem originis, & principij, igitur sicut hæc ratio de Jure naturali sufficiens est ad dirimendum Matrimonium inter liberos primi gradus, & parentes illorum, ita pariter sufficiens erit ad dirimendum Matrimonium inter Ascendentes, & Descendentes alios in infinitum. *3.* Licet in gradibus remotioribus minor sit propinquitas sanguinis, ac proinde minor indecentia conjugij appareat, quàm inter parentes, & liberos, at est major inæqualitas ætatis, & conf. major indecentia ratione illius, ut ita defectus ille propinquitatis videatur compensari inæqualitate hac.

28 Sed dicendum, probabilius in aliquo gradu Ascendentium, & Descendentium prohibitionem hanc terminari. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 51. n. 13. & cæteri omnes pro diversis sententijs *Quest. seq.* citandi. *Ratio potissima* est, quia cum consanguinitatis ratio sit participatio ejusdem sanguinis, communicata à virtute generante stupitis, &

hæc eò debilior reddatur, quò in plures generationes protenditur, nequit in infinitum extendi, sed tandem extinguitur, & deficiet, ergo impossibile est, in quacunque linea consanguinitatem in infinitum extendi: proinde dicendum erit, quòd impedimentum hoc consanguinitatis in recta linea, attempto naturali Jure, certis finibus concludatur. *Conf. ex S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3.* nam postquam hic S. D. dixit, conjugium parentum cum liberis esse secundum se indecens, & repugnans naturali rationi, subjunxit, quoad alias personas decentiam, vel indecentiam variari secundum consuetudinem, & Legem vel humanam, vel Divinam. atqui quod ex consuetudine, vel adjuncta Lege indecens, aut decens redditur, secundum se non repugnat naturali rationi, ergo &c.

Neque contrarium probant Argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* Hoc ipso, quòd avus nepi minus communicet, eique principium, & causam duntaxat applicet, minus propriè ejus parens, & genitor est, minorque ei, quàm patri reverentia debetur, atqui reverentia ista fundamentum est, quare conjugium inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ illicitum, & irritum Jure naturæ sit; igitur ubi non est tanta participatio sanguinis, neque conjugium erit Jure naturæ irritum. *Ad 2.* Majores dicuntur parentes, & posterij filij in sensu tanto latiore, quantò magis inter se distant: ex eo autem, quòd in sensu latissimo unus dicatur pater, altera filia, non sequitur, conjugium inter eos esse indecens, aut Jure naturæ irritum. *Ad 3.* constat aliunde, quòd ætatis disparitas non efficiat, ut Matrimonium sit Jure naturæ irritum, cum certum sit valere Matrimonium etiam cum senne decrepito à juvencula initum.

*Queritur 8.* Dato, prohibitionem Matrimonij in linea recta Ascendentium, & Descendentium Jure naturæ certis finibus contineri, ad quatum gradum protrahatur hæc prohibitio, eodem Jure spectato? Non satis conveniunt DD. in hujus Questionis resolutione. Nam 1. nonnulli cum Ledesin. p. 2. q. 56. art. 3. fol. 481. col. 4. *concl. 2.* dicunt hoc Impedimentum durare, quamdiu durat amicitia, & communicatio proprietatum individualium inter Ascendentes, & Descendentes; non autem constare, quamdiu hæc durent. *2.* Alij cum Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 6. fin. putant illud non excedere vigesimum gradum, gradum tamen certum, in quo finitur, non præfiniunt. *3.* Lud. Lop. p. 2. Instr. de Matr. c. 49. fol. 1140. docet id protendi ad gradum septimum, ita tamen, ut ultra quartum possit dispensare in eo Pontifex. *4.* Goffred. summ. tit. de Consang. n. 7. Angel. V. Matrimonium 3. imped. 6. in addit. ad n. 1. Palacios in 4. dist. 49. D. un. col. 22. fol. 925. *Inc.*

Impedimentum istud constringunt intra gradum quartum. *Sot. in 4. dist. 40. q. un. art. 3. col. antep. v. utraque, Angles florib. p. 1. de Matr. q. 13. art. 3. dub. 2. Valent. p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. v. verum: hac in re*, definiunt illud secundo gradu ob reverentiam, quam nepotes, & neptes debent avis, & avijs.

31 Verum his præhabenda videtur Sententia sexta, quæ cum S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. & in 4. dist. 40. q. un. art. 3. Corp. Cajet. art. 9. cit. ad 3. Palud. in 4. dist. 38. q. 4. art. 4. fin. n. 54. Armill. V. dispensare n. 9. § 10. Vega tom. 2. Summ. c. 34. cas. 64. & apertius cas. 127 fin. Sanch. l. 7. de matr. D. 51. n. 19. Pont. l. 7. c. 31. n. 6. Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 9. Perez D. 28. scilicet. 4. n. 4. Fagn. in c. vir qui 9. b. tit. à n. 33. Wagnereck in c. 8. ibid. not. 2. Wiestner hic n. 22. docet, quod ultra primum gradum lineæ rectæ Matrimonium Jure naturali non irritetur. Ratio est, quia avus, & cæteri ascendentes non sunt principium nepotum per se, sed per accidens, cum ad rationem filij, ut filius est, solum desideretur, ut à parentibus originem trahat, & per accidens sit, quod pater ejus alium patrem habuerit; nam filij Adami verè filij fuere, licet avo caruerint. *Conf.* quia avus respectu nepotis non habet rationem genitoris, sed solum rationem causæ applicantis genitorem; at causæ applicantis aliam causam suo effectui, non est per se, sed per accidens causa sui effectus; igitur loquendo de reverentia naturali, minor debetur avo, quam patri: & sic non est eadem ratio irritandi Matrimonium avi cum nepte, quæ est in patre respectu filia.

32 Dixi irritandi; nam negari non potest, quod Matrimonium contractum inter Ascendentes, & Descendentes, præsertim secundi, & proximorum graduum sit contra Jus naturæ prohibens, quando non est aliqua causa justa, cum sine dubio indecentiam quandam naturalem præ se ferat, nisi aliqua causâ justâ cohonestetur, ut cum Victoria, & Ledesma rotat Sanch. l. cit. n. 20. Ex quo patet causa, ob quas Gentes bene institutæ execratæ fuerunt conjugia talia; nam hoc factum est ob turpitudinem naturalem, quam continent, nisi causâ aliqua justâ, ut dixi, cohonestentur. Si apud aliquas Gentes infideles etiam habentur pro irritis, dicendum id provenire ex Lege speciali: & hinc si apud infideles avus cum nepte sua conjungeretur Matrimonio, seclusa Lege hujusmodi, conjugium tale teneret, & si ad Fidem converterentur, separari ab invicem non deberent, ut existimant Veracruces p. 1. Specul. art. 43. fin. & p. 2. art. 25. col. antep. §. ex omnibus istis, Barth. à Ledesm. de Matr. dub. 37. post 4. concl. §. ex dictis, Vega tom. 2. c. 34. cas. 127. fin. Sanch. l. cit. n. 21. Perez n. 5. Wiestner n. 22. fin.

33 Queritur 9. Quo Jure, & quousque Matrimonia ulteriorum graduum inter con-

sanguineos Lineæ rectæ sint irrita? Superiunt duo Jura, quibus irritari potuerunt ejusmodi Matrimonia, Divinum, & Ecclesiasticum. Quod Jure Divino in novo Testamento prohibita non fuerint conjugia ulteriorum graduum lineæ rectæ, sequitur ex dictis n. 31. juxta quæ Jure naturali Matrimonium inter consanguineos lineæ rectæ non est irritum, nisi in gradu primo; atqui ut Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 1. Fagnan. in c. fin. b. tit. n. 31. Wiestner hic n. 23. advertunt, in novo Testamento nullus gradus Lege Divina prohibitus est, qui non sit prohibitus Jure naturali; ergo &c.

34 Difficultas est, an saltem Jure Ecclesiastico Matrimonia inter consanguineos lineæ rectæ irrita sint in infinitum? Negant Sanch. D. 51. cit. n. 22. Gutier c. 98. de Matr. n. 16. Pont. l. 7. c. 31. n. 6. Pal. tr. 28. D. 4. p. 8. n. 9. Bonacin. de Sac. Matr. q. 3. p. 5. §. 1. n. 10. Fagnan. in c. si vir 9. b. tit. n. 31. Gonzal. in c. 5. eod. n. 10. Wagnereck in c. non debet 8. eod. not. 2. Nituntur textu c. non debet cit. v. prohibitio, ubi Impedimentum consanguinitatis, quod olim extendebatur ad septimum gradum inclusive, restrictum fuit ad quartum, non distinguendo inter lineam rectam, & obliquam.

35 Sed præferenda est affirmativa Sententia, quam etiam defendunt Host. in Summ. hic n. 17. v. non queritur, Joan. Andr. de arbor. Consang. n. 12. Abb. in c. non debet cit. v. prohibitio n. 12. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 6. dist. 5. Tholof. synt. l. 9. c. 9. n. 29. Engl. hic §. 1. n. 9. König n. 9. Wiestner n. 25. Reiffenstuel n. 25. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 84. Ratio est, quia Jure Civili Matrimonia inter Ascendentes, & Descendentes disertè prohibentur in infinitum l. nuptiæ 53. ff. de rit. nupt. & §. ergo non omnes 1. Inst. de nupt. ubi Imperator, Inter eas, inquit, personas, quæ parentum, liberorumve locum inter se obtinent, contrahi nuptiæ non possunt, veluti inter patrem, & filiam, vel avum, & neptem, vel matrem, & filium, vel aviam, & nepotem, & usque in infinitum: quæ Leges, utpote naturali æquitati conformes, à Jure Canonico non solum, non correctæ, sed clarè satis approbatæ sunt à Nicolao I. dum ad Consulta Bulgarorum, interrogantium, quæ personæ Matrimonio jungi possint, cap. 39. præter SS. Canonum Decreta etiam §. ergo non omnes cit. dispositionem ad verbum reposuit.

36 Conf. 1. ex cas. progeniem 16. & duob. seqq. caus. 35. q. 3. ubi Lineæ rectæ consanguineis matrimonium prohibetur usque ad septimum gradum, & quousque propinguitas, & consanguinitas cognoscitur, aut memoriâ retinetur. Conf. 2. arg. c. intellectimus 1. de nov. oper. nunt. quod Jure Civili constitutum est, etiam de Jure Canonico obtinet, si SS. Canones aliter non dispo-

Sponant, maximè si dispositionem illam aperte approbent; atqui, ut vidimus, de Jure Civili Matrimonia inter consanguineos lineæ rectæ prohibentur in infinitum, & dispositioni huic SS. Canones non resistunt, sed eam aperte approbant; ergo &c.

37 *Ad Fundamentum adversæ Sententiæ* dico, in textu *c. non debet cit.* sermonem dantaxat esse de consanguineis lineæ transversæ: quod patet ex eo, quia dispendia, ex ulteriorum Graduum prohibitione provenientia, quæ Concilij Lateranensis PP. ad Matrimoniorum Impedimenta restringenda permoverunt, ex solis Conjugijs collateralium sunt orta; inter hos enim tantum, & non inter Lineæ rectæ consanguineos in Gradibus ulterioribus contrahebantur, & ob vitæ brevitate contrahi poterant. *Conf. Decretum c. cit.* est correctorium Juris antiqui; igitur de Linea transversa ad Lineam rectam extendi non debet, cum in hac nulla sit necessitas correctionis, utpote in qua Jus antiquum sine dispendio, & difficultate servari potest, cum non facile aliquis tamdiu vivat, ut possit, etiamsi liceret, descendente à se in gradibus ulterioribus ultra quartum ducere in uxorem.

38 *Queritur 10.* Quo Jure sint prohibita, vel irrita conjugia inita inter fideles in gradibus, *Levit. 18. vetitis?* *Videntur* irrita esse Jure naturali; nam si aliquo alio Jure essent irrita, irrita defacto essent vel Jure Divino novi Testamenti, vel Jure Divino Testamenti Veteris, vel ordinatione Ecclesiæ, præcepta Levitico prodita, & Christi morte evacuata resuscitantis, ac vivificantis; neutrum dici potest. *Non primum;* quia Jure novi testamenti elevatum quidem est à Christo Matrimonium ad Dignitatem Sacramenti, non tamen facta ulla circa ejus contractum, & habilitatem personarum illud ineuntium mutatio. *Non secundum;* quia præcepta *l. cit.* posita, si Juris naturalis declaratoria non fuere, ceremonialia duntaxat, & Judicialia fuerunt, quæ Christi morte exspirarunt, teste Apostolo *Hebr. 7. v. 12.* & S. August. relato *c. translato 3. de Constit.* *Non tertium;* quia præcepta quæcumque, quæ ab Ecclesia condita, vel resuscitata fuerunt, per viam Dispensationis autoritate Apostolica relaxari possunt, ut est certa Sententia S. Thom. *quodl. 4. art. 3.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 7. n. 6.* Suar. *l. 6. de Legib. c. 14. n. 2.* & aliorum; atqui ad conjugia, in Levitico prohibita, dispensari à Sede Apostolica, nequit, ut rescripsit Innocentius III. *c. litteras 13. v. opinioni de restit. spoliat.* igitur illorum prohibitio, & irritatio ex Constitutione Ecclesiastica non descendit: aliud autem Jus nullum superest, nisi naturale; ergo &c.

39 *Conf. 1.* quia *c. 18. cit.* DEUS matrimonia, in gradibus ibi prohibitis inita, vocat abominaciones, & scelera, à Gentibus

commissa; igitur peccarunt Gentiles conjugia illa ineundo, non peccarunt autem contra Legem Hebræorum Judicalem, quippe quæ obstringebat solos Hebræos; ergo contra Legem naturæ, quam observare etiam Gentiles debent. 2. Ratio, propter quam *c. 18. cit.* vetita fuerunt ista conjugia, ibidem hæc datur, ne scilicet reveletur turpitudine personarum, gradibus illis conjunctarum: quæ naturalis indecentiæ, & moralis ratio est. 3. *c. de infidelibus 4. b. tit.* Innocentius III. rescripsit, conjugia infidelium ad fidem converforum non dissolvenda, siquidem contra SS. Canones tantum, non autem contra *Legis veteris instituta* sint inita; igitur argumento ducto à sensu contrario dissolvenda erunt, si contra *Legis veteris instituta* coaluissent: non autem dissolvi deberent ex alio capite, quam quod Jure naturæ sint irrita; ergo &c. 4. Si conjugia *c. 18. cit.* vetita non essent Jure naturæ irrita, præceptum illa prohibens solum Ceremoniale, & Judiciale fuisset, tale autem non fuit, sed morale, & Juris naturalis declaratorium; alias Ecclesia in eo dispensare posset; ergo sicut ob istam causam præcepta Decalogi adhuc obligant, ita & istud.

Sed his non obstantibus, dicendum, non omnia Matrimonia, quæ contrahuntur in gradibus prohibitis in Levitico, Jure naturali esse irrita. Ita Scot. in *4. dist. 40. q. un. art. 2. Cajet. 2. 2. q. 15. art. 9. ad 3. Sot. q. un. cit. art. 3. & dist. 41. q. un. art. 3. Navar. tit. de Sponsal. edit. 2. conf. 14. n. 8. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 2. Bellarm. l. 1. de matr. c. 27. pr. Henric. l. 12. de Matr. c. 1. n. 2. & c. 9. n. 5. Valent. p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. de Imped. cognat. §. in alijs autem, Sanch. l. 7. de matr. D. 52. n. 6. Gutier. c. 98. n. 19. Conink D. 32. n. 10. Palao tr. 28. D. 4. p. 7. n. 6. Bosco de matr. D. 12. concl. 2. per totum. Canis. in c. 3. h. tit. n. 17. Gonzal. in c. 5. eod. n. 14. Zoel. hic n. 34. Pirhing n. 18. Schambog. n. 19. Wieselner n. 33. fin. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 75, & teste Valentia *l. cit.* nunc DD. Catholici omnes propter decisionem Trid. *sess. 24. can. 3. de Sacr. Matr.* ubi Anathema dicit ijs, qui negant, quod Ecclesia in nonnullis consanguinitatis, & affinitatis gradibus, qui Levitico continentur, dispensare possit, dispensare autem non posset, si omnes Jure naturæ dirimerent Matrimonium; ergo &c. *Conf. 1.* ex *c. gaudemus 8. de divort.* ubi Innocentius III. pro validis habet conjugia, ab infidelibus inita in gradibus etiam vetitis in Levitico; nam ad fidem conversos hujusmodi conjuges permittit liberè perseverare in conjugio; hoc autem non posset permitttere, si ejusmodi conjugia forent Jure naturali irrita; ergo &c. *Conf. 2.* In Levitico prohibetur conjugium amata, & matertera cum nepote, non tamen prohibetur conjugium neptis cum patruo, & avunculo, licet isti eodem consanguini-*

guinitatis gradu conjuncti sint, quo illi: quod signum minimè obcurum est, quòd Lex, quæ prioribus vetat conjugium, non moralis, & Juris naturalis declarativa sit, sed ad præcepta Judicialia solum, & Ceremonialia Gentis Hebrææ pertineat; nam naturali Jure spectato, conjugium inter consanguineos ejusdem gradus æqualiter indecens, & vetitum est.

41 Dixi, non esse Jure naturali irrita; non enim negandum videtur, quòd Matrimonia, saltem pleraque, in Levitico prohibita, quatenus nudè, & secundum se considerata, & pro libitu privatorum sine specialibus circumstantijs individuantibus inita, indecentiam quandam naturalem contineant, quòd natura dicitur, reverentiam quandam consanguineis, in illis gradibus conjunctis, deberi, cum qua pugnat copula conjugalis, ut pluribus alijs cit. advertit Sanch. n. 6. cit. Putat tamen Petr. de Ledesm. de Matr. q. 54. art. 3. diff. 4. concl. 2. & q. 55. art. 6. circa primum statum affinitatis, diff. 2. in explicatione primæ conclusionis cum aliquibus TT. quos tacito nomine refert, secluso Jure humano, non fore culpam lethalem in gradibus lineæ transversæ, qui Jure naturali irritante non sunt prohibiti, etiam citra causam honestantem, contrahere Matrimonium; quia hoc, seclusa lege humana, non adeo magnam indecentiam continet.

42 Responzionem ita firmatam, & explicatam non convellit Argumentum deductum ex c. litteras cit. nam ibi Pontifex ait, in Gradibus Lege Divina prohibitis dispensari non posse, non quòd Jure naturali, aut Divino, adhuc Ecclesiam obligante, conjugia in illis inita nulla sint, sed quòd ita dispensari Ecclesiæ non expediat, neque facile occurat justa aliqua, & ad dispensationem honestandam sufficiens causa, sine qua dispensatio, à Pontifice contra Jus Ecclesiasticum commune data, valida quidem est, sed tamen illicita: id autem solum posse pos dicimur, quod justè, & honestè facere possumus can. faciat 15. junct. Gloss. V. eodem caus. 22. q. 2. & l. 125. fin. ff. de V. S.

43 Ad Conf. 1. verba illa Levit. cit. intelligi debent de concubitu extramatrimoniali cum masculis, vel bestijs, aut si etiam de Matrimoniali intelligenda sunt, coarctabuntur ad Matrimonium in initum inter parentes, & liberos. Ad Conf. 2. turpitudine illa, quæ reperitur in conjugijs initis inter gradus in Levitico prohibitos, tanta non est, ut inducat nullitatem illorum: & licet non facile occurrant, occurrere tamen possunt causæ, quæ turpitudini illi prævalent, & honestent dispensationem, atque ex hac secutas nuptias. Ad Conf. 3. Malè infertur, conjugia, ab infidelibus inita contra instituta veteris Legis, esse Jure naturali irrita; nam c. de infidelibus cit. Pontifex solum respondit ad consultationem Archiepiscopi Tiren. R. P. Schmalzgrueber L. IV.

sis, dubitantis, an valida sint conjugia, ab infidelibus contra SS. Canones secundum Legem veteris instituta inita; ad quod respondit valida esse: ex hoc autem non sequitur esse invalida illa, quæ inita sunt contra instituta veteris Legis. Ad Conf. 4. patet ex Conf. 2. n. 40. præceptum illud Levitici quoad gradus, in Linea transversa prohibitos, solum esse ceremoniale, & Judiciale: de Matrimonijs, initis in Linea recta cum consanguineis secundi, & ulteriorum graduum, quòd Jure naturali non sint irrita, patet ex dictis supra n. 28. & seqq.

44 Quæritur II. An Jure naturali aliquod conjugium inter consanguineos Lineæ transversæ sit irritum? Satis convenit inter DD. matrimonium inter consanguineos secundi, & ulteriorum graduum lineæ transversæ, Jure naturali spectato, non esse irritum: & patet 1. ex c. gaudemus 8. de divor. ubi deciditur, Infideles, ad fidem conversos, si in secundo, & ulterioribus gradibus lineæ obliquæ Matrimonium contraxerint, separandos non esse, cum Constitutionibus Canonicis non arctentur; atqui separandi essent, si Matrimonium in his gradibus esset contra Jus naturæ; nam huic subjiciuntur etiam Infideles. 2. Constat etiam Sanctos Viros in veteri Testamento in his gradibus Matrimonium iniisse; sic enim Abraham duxit in uxorem Saram, quæ secundum August. l. 16. de Civit. c. 12. & 10. & alios fuit neptis ipsius ex Fratre Aram. Gen. 11. & Isaac Rebeccam consobrinam suam. Gen. 24. atqui non est credibile, quòd Jus naturæ ignoraverint, aut contra agnatum egerint, cum in hoc non reprehendantur à Scriptura. 3. Constat ex Trid. sess. 24. c. 5. de reform. Matr. in his gradibus dispensari posse, & hoc probat etiam praxis; videmus enim passim, quòd Pontifex inter magnos Principes, in secundo, & ulteriori gradu conjunctos, ob publicam causam permittat conjugia. 4. Denique id confirmat etiam ratio; quia inter consanguineos in ulterioribus gradibus non est tanta familiaritas, & reverentia.

45 Difficultas est de conjunctis in primo gradu Lineæ transversæ, videlicet, an Matrimonium, inter fratrem, sororem in initum, sit Jure naturæ nullum, & irritum? Irritum hoc Jure affirmant Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 20. n. 5. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 28. post pr. Sà V. Matrimonium de Imped. dirim. n. 4. & cum parentibus. Valq. 1. 2. q. 77. art. 8. D. 112. n. 7. Sanch. l. 7. de Matr. D. 52. n. 11. Gutier. de Matr. c. 7. n. 20. Rebell. p. 2. l. 3. q. 5. n. 13. Valest. p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. Laym. l. 5. ff. 10. p. 4. c. 6. n. 5. Clericat. de Matr. decis. 22. q. n. 31. Canul. in c. 3. b. tit. n. 13. §. quoad transversales, Zoesl. hic n. 33. Pirhing n. 10. Schambog. n. 12. P. König n. 6. P. Reiffenstuel. n. 28. P. Melchior Friderich. q. 3. art. 3. n. 31. & apud hos alijs. Fundam-  
Rr

*tit. 1. textu c. gaudemus 8. de divor.* ubi Innocentius III. dum asserit, infideles in secundo, & ulteriori gradu copulatos, si ad fidem convertantur, non separandos, non obscure innuit, separandos esse, si copulati sunt in primo. 2. Gentes pleræque etiam tale conjugium detestatae sunt teste Aristotele 2. *Polit.* 2. & quæ illud permittebant, & graviter fuerunt reprehensæ, & pro barbaris habitæ, ut refert August. *l. 22. contra Faust. c. 35.* 3. Si non fuisset illicitum Jure naturæ conjugium in Matrimonium fratres, & sorores, Abraham non evitasset suspicionem inii cum Sara conjugij, & inde imminens sibi vitæ periculum, eam vocando forem suam. 4. Conjugium fratris cum Sorore *Levit. 20.* punitur morte, & conjugitur cum adulterio, Sodomia, & bestialitate, quæ manifestè repugnant Juri naturali. 5. Nulla extant exempla proborum virorum, qui tempore Legis naturæ inierint tale conjugium, cum tamen extent de alijs, Lege positiva postea prohibitis. 6. Inter fratres, & sorores est naturalis quidam pudor, ac reverentia, cui valde repugnat actus conjugalis, per quem turpitudine alterius revelatur. 7. Cum fratres, & sorores ab incunabilis simul habitent, maxima præberetur ansa inflammandæ concupiscentiæ, & incestus committendi, nisi persuasum haberent, conjugia sibi prohibita esse ab Authore naturæ. 8. Ecclesia in primo gradu lineæ transversæ nunquam dispensavit, etsi aliquando fuerit petitum à Summo Pontifice. Hæc Sententia ex his fundamentis est admodum probabilis.

46 Dicendum tamen, probabilius Matrimonium inter fratrem, & sororem Jure naturæ non esse irritum. Ita S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. S. Bonavent. in 4. dist. 40. art. un. q. 2. Scot. *ibid. q. un. art. 2.* Cajet. in c. 18. *Levit. ad fin.* Navar. tit. de *Sponsal. edit. 2. conf. 14. n. 8. fin.* Armill. *V. dispensare n. 9. § 10.* Palacios in 4. dist. 40. D. un. col. 24. fol. 926. *¶. veruntamen quia frater,* Cucch. *l. 5. inst. major. tit. 13. n. 11.* Barth. à Ledesm. de *matr. dub. 38. concl. 2.* Rodriq. tom. 1. *Summ. edit. 2. c. 225. n. 2.* Philiarth. de *Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 14. §. sed possit dici.* Vega tom. 2. *Summ. c. 24. cas. 127. 129. § 165.* Henriq. *l. 12. de Matr. c. 9. n. 4.* Conink *D. 32. n. 19.* Pont. *l. 7. c. 32. an. 3.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 7. n. 11.* Perez *D. 28. sect. 5. n. 2.* Gonzal. in c. 5. b. tit. n. 11. § 12. Wiestner *hic n. 28.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de matr. c. 8. n. 62.*

47 Probatur 1. nam per fratrum, & sororum conjugia primitus fuit propagatum genus humanum; neque constat de dispensatione Divina: imò illam in principio statim mundi à DEO dari, & sic Jus naturæ in ipso naturæ primordio per dispensationem infringi adeo videtur dedecuisse, ut potius credendum sit, si id esset contra Jus naturæ,

DEUM potius plures creaturum fuisse masculos, & feminas, ne cogerentur fratres, Jure naturæ violato, Matrimonium inire cum fororibus. 2. Sara, ut testantur D. Hieron. in *qq. Hebraic. in Genes. & Clem. Alexandr. l. 2. Stromat. c. 12.* atque ex ipsa Scriptura *Genes. 20.* colligitur, non tantum fuit ex propinquis aliqua, sed vera Abrahæ Soror, consanguinea scilicet; nam *v. 11. l. cit.* dicit Abraham: *Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem,* non est autem credibile, quòd eam ducturus fuisset, si conjugium cum illa fuisset Jure naturali irritum. 3. Thamar 2. *Reg. 13.* Ammoni fratri violentam oppressionem dissuadens, *Quin potius, ajebat, loquere ad Regem, qui me non negabit tibi uxorem:* quæ verba ad defensionem apta non fuissent, si Matrimonium inter eos irritum fuisset Jure naturali. 4. Hujusmodi conjugia fratrum cum Sororibus apud Ægyptios, à rerum naturalium cognitione celebratos, non fuerunt inusitata; nam juxta Gentis illius morem Prolomæus Philadelphus Ægypti Rex Sororem uxorem duxit, ut testis est Alex. ab Alex. *l. 1. diergenia. c. 24.* Idem de Assyrijs, Persis, Atheniensibus scribunt Tiraquell. *Conaub. l. 7. & Palaxot. de Notbis c. 3. n. 2. § 3.* non potest autem præsumi apud Gentes istas ignorantia Juris naturalis; ergo. 5. *Can. de incestis 8. caus. 35. q. 3.* Concilium Agathense inter alias incestuosas conjunctiones prohibet, ne frater germanam suam accipiat in uxorem, & *¶. quod ita* concludit, *se non dissolvere* antè in infidelitate secus celebrata conjugia: quibus sanè verbis apertè ostenditur, omnia Matrimonia, in illis gradibus expressè prohibitis, valere posse; alioquin illos sic conjugatos in lethali culpa vivere fineret, quod nemo affirmabit. 6. *l. si stipulor 35. ff. de V. O. J. C. t. 1.* assertionem suam, quæ dixit, aliud per naturam, aliud per Leges fieri non posse, exemplis declaraturus, impossibile per naturam, ait, esse, *dare, quod dari non potest;* per Leges autem Sororem suam nupturam sibi: quo dicto clarè insinuat, conjugium, inter fratrem, & sororem ininitum, Juri naturali non repugnare. 7. Ex duobus collateralibus, etiam in primo gradu conjunctis, uterque alteri æqualis, neuter alterius principium, vel alteri subjectus est. igitur conjunctio conjugalis inter hos non ita adversatur reverentiæ, quam sibi mutudè debent, sicut adversatur conjugium inter ascendentes, & descendentes reverentiæ, quæ à descendentibus debetur ascendentibus. 8. Si ejusmodi conjugia irrita essent Jure naturali, ad ea dispensari non possent: quod tamen à Martino V. vel potius ejus nominis II. & alijs Romanis Pontt. factum narrant Cajet. *Opusc. de Matrim. Reg. Angel. & Sylv. V. Papa q. 122.*

48 Neque obstant Argumenta allata in contrarium. *Ad 1.* Innocentius eo textu solum respondet de secundo, & ulterioribus gradibus; quia de his solis fuit consultus: de primo autem gradu, de quo inter DD. est controversia, nihil statuit, ut ex Adversarijs probè advertit Sanch. *l. cit. Ad 2.* Gentibus conjugium hoc detestantibus oppono alias, quæ illud approbârunt, & cum prudentiæ laude, ut dictum est, celebres fuerint, Jus naturæ ignorâsse præsumi nequeunt. Adde, ex horrore isto probari solum, quòd ejusmodi Matrimonia, si ineantur sine causa justa, contineant quidem indecentiam quandam, & propterea sint illicita, non tamen sequitur etiam esse invalida. *Ad 3.* Etiam si Sara Abrahæ Soror non fuisset, plus inde non inferretur, quàm quòd rara, aut omnino iniustata illis locis, & temporibus fuerint conjugia inter fratres, & sorores, ut notat Pont. *l. cit. n. 6.* conf. Abraham suspitionem conjugij cum Sara, dicendo eam esse sororem suam, satis evitavit. *Ad 4.* Conjugium fratris cum Sorore in *Levitico* fuit punitum morte, leviore poena conjugia consanguineorum in gradu remotiore; quia major inconvenientia reperitur in illo, quàm in istis: non tamen sequitur, inconvenientiam illam etiam post se, Jure positivo secluso, trahere invaliditatem contractûs. *Ad 5.* Extat exemplum Matrimonij liberorum Adam inter se, & Abrahami cum Sara. *Ad 6.* Pudor ille, & reverentia non est tanta, quanta respectu avi, & avix esse debet in nepotibus, & nephibus illorum, & tamen non est Jure naturali irritum Matrimonium avi cum nepte, & avix cum nepote, ut dictum est *n. 31.* *Ad 7.* Satis prospectum illi periculo est per Constitutionem Ecclesiæ prohibentis, & irritantis hujusmodi conjugia. *Ad 8.* Patet ex Argumento nostro octavo.

49 Quæritur 12. Quousque in Linea transversa irritum conjugium sit Jure Ecclesiastico? R. Jure Canonico antiquissimo simpliciter inter consanguineos Matrimonia prohibita fuerunt, quousque gradus, ac generationis memoria retineri poterat *can. de consanguinitate 17. & can. seq. caus. 35. q. 3.* quæ prohibitio deinde fuit restricta ad gradum septimum *can. nullum 7. can. nulli 19. q. cit. & can. ad sedem 2. caus. cit. q. 5.* Denique in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. prohibitio illa graduum adhuc magis est coarctata, & statutum, ut deinceps tam consanguinitas, quàm affinitas non dirimeret Matrimonium, nisi ad gradum quartum inclusivè, prout refertur *c. non debet 8. §. prohibitio h. tit.* ubi ratio restringendi Impedimentum istud affertur duplex.

50 Prima est, quia experientiâ comperitum fuit, quòd prohibitio hæc, quæ Impedimentum istud ad septimum usque gradum extendebat, sine magno dispendio servari non potuerit, cum sæpe difficulter sciri

possit, quinam quinto, sexto, aut septimo gradu conjuncti sint, eò quod tam remotam Cognationem homines non soleant ita computare, imò etiam vix æstimare: quare sæpe numero factum est, ut ob ignorantiam Cognationis in istis gradibus contraherentur conjugia, quæ deinde cum tempore detecto impedimento, cum publico scandalo, & damno debuerunt dissolvi.

Altera ex humani corporis humoribus 51 ducitur: quia etiam quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor Elementis: quæ ratio non quidem fundamentalis est, sed congrua tantum, minimè tamen explodenda, ut faciunt Hæretici nostri temporis; cum enim homo ex quatuor humoribus, quatuor Elementorum naturam imitantibus, constet, necesse est ob continuum qualitatum in his prædominantium inter se conflictum, sanguinem à primo stipite hauritum successivè ita alterari, ut post quartam generationem, sive in atnepote, & atnepte vix aliquid amplius supersit, quod ab Atavo acceptum est: cum igitur ratione sanguinis, à communi stipite accepti, consanguinei à conjugijs inter se ineundis arceantur, meritò statutum est, ut deinceps Impedimentum istud in Linea transversa ultra quartum gradum se non extendat. *S. Thom. 3. p. 9. 33. art. 4. Sanch. l. 7. de Matr. D. 53. n. 6. Gonzal. in c. non debet cit. n. 3. Pirhing hic n. 16. Schambog. n. 17. Wiestner n. 17. §. 18. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 90.*

Quæritur 13. An rectè intra hos gradus 52 ab Ecclesia prohibitum, & irritatum sit Matrimonium? Impugnant prohibitionem istam Hæretici, inter quos *Wickleff* eam vocat humanam inventionem, & putat, dempto gradu primo Lineæ rectæ, inter consanguineos Matrimonium stare posse in quocunque alio gradu; Lutherus verò, & Bucerus solos gradus *Levit. 18.* vetitos admittunt, alios verò ab Ecclesia additos omnino despiciunt; Melancthon verò, & Kemnitius volunt etiam intra gradus ab Ecclesia prohibitos contrahi Matrimonium posse, si hoc culpâ vacet. *Fundantur 1. Quia DEUS melius novit, quæ personæ sint aptæ ad Matrimonium, & quousque se extendant Cognationis gradus, quam ullus homo, at ipse non prohibuit conjugia, nisi usque ad secundum gradum in linea æquali. ergo temere prohibentur ab hominibus in Gradibus ulterioribus. 2. Antiqua Concilia, ut Turonense II. *can. 12.* Parisiense I. *c. 14.* Epau-nense *c. 30.* & S. Gregorius *respons. 6. ad August. Angl. Episcop. relatus can. 20. caus. 35. q. 3.* conjugia solum vetant intra secundum gradum. ergo ultra hunc malè extenditur prohibitio. 3. Romanus Pontifex non est supra Christum. at hic non venit Leges Politicas constituere, sed Verbum DEI annuntiare; ergo nec Summus Ponti-*

sex debet, aut potest ejusmodi Leges ferre.

53 Sed dicendum, convenientissimè ab Ecclesia prohibitum, & irritatum fuisse Matrimonium in Gradibus ab Ecclesia interdictis. 1. Propter reverentiam, quam Cognati sibimetipsis exhibere debent, ob originem ab eodem stipite tractam, & sanguinis communionem: cui reverentiæ multum detrahit actus conjugalis. 2. Quia decet Matrimonia iniri eo pacto, ut deserviant bono publico politico, cum juxta Aristotelem 1. polit. c. 2. homo suapte naturâ sit animal politicum. atqui bonum politicum civitatis petit consanguineos, & affines non jungi Matrimonio, quòd hi foedere consanguinitatis, & amicitiae jam sint aliàs satis devincti. 3. Quia sic tollitur ansa incestus, quam aliàs perpetuus in eadem domo convictus praberent.

54 Ad Argumenta contraria facilis est responsio. Ad 1. Ecclesia minime corrigit Divinum statutum, sed utitur potestate sibi à DEO concessa, quâ restringere, vel dilatare potest prohibitionem Matrimonij, prout expedire viderit pro diversitate temporum. Et Hebraeis quidem expediebat, ne plures consanguinitatis gradus DEUS prohiberet, quòd rari essent illi, & valdè proni ad repudium, à quo arcerentur ducentes consanguineas: quæ ratio modò cessat, & ideo expediens fuit plures ab Ecclesia gradus prohiberi. Ad 2. Ab illis Concilijs enumerantur aliquot gradus prohiberi; quòd verò etiam ceteros usque ad septimum Jure antiquo, & quartum Jure novo velint Matrimonium fidelibus esse prohibitum, satis patet, quia remittunt se ad statuta veterum, & anteriora Concilia S. Gregorius in Epist. 31. apertè proficitur, se cum solis Anglis ob recentem eorum conversionem dispensasse, ut in tertio, & quarto gradu possent contrahere Matrimonium, quòd de Jure non licet. Ad 3. Matrimonium, postquam à Christo elevatum est ad dignitatem Sacramenti, est res Spirituales, quas tractandas Christus assignavit Ecclesie: cons. cessavit esse res merè Politica: quin Ethnicis quoque visum est, hoc munus esse eorum, qui Sacra tractant, ut patet ex Cicerone l. 2. de LL.

55 Quæritur 14. An ad hos gradus se extendat etiam Impedimentum consanguinitatis, ortum ex copula illicita? Ratio dubitandi est, quòd affinitas, ex ea orta, per Trid. ut infra n. 108. videbimus, ad primum, & secundum gradum restricta sit. consanguinitas autem, & affinitas quoad prohibitionem Matrimonij æquiparantur. igitur cum favorabile sit pro libertate Matrimonij respondere, & ejus Impedimenta minuere, dicendum videtur, quòd nec Impedimentum Consanguinitatis, ortum ex copula illicita, se ultra gradum primum, & secundum extendat.

Sed longè probabilius est, circa consanguinitatem nihil à Trid. immutatum esse; si enim voluisset Trid. utique eadem facilitate, sicut de Affinitate, ita & de Consanguinitate id expressisset: aliunde autem notum est, correctionem Jurum sine aperto textu non esse admittendam arg. c. cum expediat 29. de elect. in 6. l. præcipimus 32. §. fin. C. de Apell. Englbic §. 1. n. 10. König ibid. n. 11

Neque verum est, quòd consanguinitas, & affinitas in omnibus æquiparentur, cum major sit conjunctio ex consanguinitate, quàm affinitate: & insuper ea causa, quæ restringi suadet affinitatem, ortam ex copula illicita, non persuadeat sic restringendam consanguinitatem, ex illa natam, quòd frequentius ex copula illicita oriatur affinitas, quàm consanguinitas.

Quæritur 15. An universim quicumque quinto gradu inter se distant, Matrimonium contrahere possint, licet unus eorum à communi stipite distet intra gradum quartum? Satis constat, posse Matrimonialiter copulari saltem, si is, qui propinquior est communi stipiti, distet ab eo secundo, tertio, aut quarto gradu. Habetur expressè c. fin. b. tit. Ratio est, quia computatio fit à remotiori, & sic inter se distant quinto gradu, in quo gradu nulla est prohibitio, Sanch. l. 7. de Matr. D. 53. n. 4. Fagnan. in c. fin. cit. n. 2.

Difficultas est, si unus ex contrahentibus solum distet primo gradu à stipite communi? In quo casu Hostiensis, Joannes de Friburgo, Henricus de Boich, & quidem alij antiquiores apud Sanch. n. 5. negant hoc casu per Jus Canonicum contrahi Matrimonium ab ita conjunctis posse. Rationem dant 1. Quia c. fin. cit. solum approbatur illud Matrimonium, in quo uxor quinto, & vir quarto gradu distat à communi stipite, igitur non approbatur, si vir distet primo. 2. Deciso c. non debet cit. pertinet magis ad lineam obliquam æqualem, quàm inæqualem; nam in linea inæquali is, qui propinquior est communi stipiti, & ab eo tantum unico gradu distat, est quasi in linea ascendendum, in qua secundum dicta n. 35, Matrimonium in infinitum interdicatur. 3. Ex Bulla S. Pij V. exprimensus est gradus propinquior alterius; & ibi protestatur Summus Pontifex, se nunquam intendere dispensare, si unus illorum solum distet primo gradu à stipite. ergo ex mente illius primus gradus absolute obstat Matrimonio.

Sed dicendum, conjugium inter col laterales, quorum unus distat à communi stipite quinto gradu, alter solum primo, etiam de Jure Ecclesiastico esse validum. Ita alij cit. Sanch. n. 5. cit. Fagn. l. cit. n. 3. P. Friderich de consang. & affinit. q. 4. art. 2. n. 52. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 94. Ratio est, quia c. non debet cit. sine

exceptione traditur, quòd Consanguinitatis, & Affinitatis impedimentum ultra quartum gradum non extendatur, possunt igitur validè contrahere, qui distant quinto, atqui illi, quorum unus à communi stipite distat quinto gradu, alter primo, adhuc inter se distant quinto gradu, cum juxta *c. fin. cit.* remotior trahat ad se vicinorem. ergo &c.

61 Neque obstant Argumenta opposita. *Ad 1.* Quòd Pontifex in *c. fin. cit.* solum ponat gradum unius quartum, & alterius quintum, causa fuit, quia de eo duntaxat casu fuit interrogatus: cæterùm Constitutionem illam extendendam etiam ad casum, quo propinquior à communi stipite distat tertio, secundo, & primo gradu, evincit ratio in *c. fin. cit.* data; quia videlicet non attenditur distantia vicinioris, sed remotioris. *Ad 2.* In *c. non debet cit.* non distinguitur inter lineam transversam æqualem, & inæqualem. igitur dispositio illius indistinctè est intelligenda: neque verum est, quòd distans unico gradu in linea collateralis à communi stipite sit quasi in linea ascendentium respectu collateralis remotioris, cum iste ab illo originem suam non trahat. *Ad 3.* Id verum est, quando remotior adhuc intra quartum gradum distat à stipite communi, non verò, si quinto, vel ulteriori, ut declaravit *S. Congregatio*, teste Tambur. de *Jur. tripl. l. s. tr. 2. c. 9. §. 7. n. 3.*

62 Queritur 16. Quam poenam incurrant Consanguinei, qui in gradu prohibito Matrimonium ineunt, & incestas nuptias contrahunt? *¶* Jure Canonico incurritur Excommunicationem ipso facto, nisi probabilis ignorantia, vel metus excuset. *Clem. an. b. tit.* ubi etiam aliæ poenæ, contra ejusmodi incestuosos conjuges per Leges Civiles, vel alia Jura latæ, confirmantur. Tales de Jure Civili sunt bonorum publicatio, exilium, & verberatio, si persona vilis sit *c. cum secundum 19. de Heres. in 6. Auth. incestas C. de incest. nupt.* Covar. *p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 8.* Zoel. *hic n. 16.* Honor. *n. 5.* Schambog. *n. 36.* Quæ poenæ, maxime Canonice, locum habere videntur, etiam si nuptiæ non sint consummatæ. Barbof. in *Clem. cit. n. 20.* Zoel. *n. 16. cit.* Schamb. *n. 38.* König *n. 16.*

An verò poenæ Civiles extendendæ sint ad nuptias, quæ de Jure solum Civili incestuosæ sunt, prout sunt nuptiæ inter ascendentes, & descendentes, inter fratrem, & sororem, ejusque filiam, an verò etiam ad eas, quæ tales sunt de Jure Canonico, controversum est inter DD. Affirmat Covar. *l. cit.* & quidam alij DD. Negat Jul. Clar. *S. incestus n. 3.* Canis. in *c. non debet cit. n. 13. §. sunt in hac questione*, König *l. cit. arg. l. Gracchus 4. C. ad Leg. Jul. de adulter.*

Queritur 17. Qualis ignorantia excuset ab ista poena? Certum est excusare omnem ignorantiam facti, quæ probabilis est. Schambog *hic n. 39.* Et idem dicendum de Ignorantia Juris non culpabili.

An verò etiam excuset ignorantia Juris culpabilis, dubium moveri potest: quod tamen distinctione tolli potest; nam affectata, qualem habent illi, qui scire nolunt, quod scire deberent, idque ut liberius peccent juxta *Psalm. 35. v. 4.* ibi, *Noluit intelligere, ut bene ageret*, non excusat, cum equiparetur scientiæ: Contrà ignorantia etiam crassa, si affectata non sit, probabilius excusat sic contrahentes ab Excommunicatione per *Clem. cit.* lata; quia hæc exigit, ut scienter tale inearur Matrimonium, quæ scientia verum requirit dolum, & malam fidem, atqui dolo caret non solum is, qui factum nescit, sed & is, qui in Jure erravit, ut ait *l. sed & si 15. §. scire 6. ff. de hered. petit.*

Idem dicendum putant Barbof. in *65 Clem. cit. n. 7. §. seqq.* Zoel. *n. 19.* Schambog. *n. 39.* de eo, qui ab initio ignoranter Matrimonium cum tali Impedimento iniit, tametsi illius ex post facto fiat conscius, & post adeptam scientiam ab eo non recedat; quia *Clementina cit.* non punit cohabitationem incestuosam, sed eos, qui scienter talem contractum ineunt, in casu autem posito non ineunt, ergo &c. Excipit Barbof. *l. cit. n. 18.* si intentione maritali cohabitent: quam tamen Exceptionem alij negant. *Procedit* autem hoc non tantum post Trid. sed etiam ante illud, quo Jure copula subsequens Sponsalia de futuro faciebat illa transire in Matrimonium; quia id verum erat, si non subesset Impedimentum dirimens. Ita *citt.*

## S U M M A R I U M.

66. Affinitatis Etymologia.  
 67. Definitio.  
 68. Uxor, & Maritus non sunt sibi affines.  
 69. Oritur ex Matrimonio consummato tantum.  
 70. Et ex copula etiam illicita.  
 71. Non sufficit attentata.  
 72. 73. Vel quocunque modo imperfecta.  
 74. Affinitas olim fuit triplex.  
 75. Hodie unâ retentâ, sublata cetera.  
 76. 77. 78. Ut adeo ducere aliquis possit etiam privignam, vel novercam uxoris suæ de-  
 junctâ.  
 79. 80. 81. Inter quos oriatur Affinitas.  
 82. 83. An gradus habeat?  
 84. Regula dignoscendi Gradus Affinitatis.  
 85. Et discernendi Affinitatem veram ab Affini-  
 tate per accidens.  
 86. Sc. Vinculum Affinitatis ex Matrimonio.  
 90. Sc. Et copula fornicaria est naturale.  
 93. In linea transversa Affinitas nec ex fornicatione.  
 94. Nec ex Matrimonio orta.  
 95. Sc. Etiam in primo gradu Jure naturali dirimit Matrimonium.
99. Sc. Et idem probabilius dicitur etiam de Affinitate in linea recta.  
 106. Jure Ecclesiastico olim promiscuè dirimebat Matrimonium usque ad gradum septimum.  
 107. Nunc orta ex Matrimonio usque ad quartum inclusivè.  
 108. Ex fornicatione autem proveniens usque ad secundum.  
 109. In recta linea Affinitas ex copula conjugali Jure Ecclesiastico dirimit Matrimonium probabilius in infinitum.  
 110. 111. Affines ex copula fornicaria in tertio, & quarto gradu non solum valide, sed etiam licite Matrimonium contrahunt.  
 112. 113. Quod intelligendum, etsi Affinitas orta sit ex Adulterio, Incestu, sacrilegio Sc.  
 114. Et procedit, licet unus eorum postus sit in primo gradu.  
 115. Poena contrahentium in gradu Affinitatis prohibito est Excommunicatio.  
 116. Sc. Requisita ad incurrendam hanc poenam.
66. **Q**Uæritur 1. Quid sit Affinitas? *¶* Affinitas sic dicta est à *Finium* propinquitate; cum enim per copulam carnalem perfectam, & consummatam vir, & mulier fiant una caro. *Matth. 19. v. 5. & can. fraternitatis 1. caus. 35. q. 10.* consanguinei unius accedunt ad fines alterius, non facile 4. §. sed quoniam 3. ff. de gradib. & affiib. & hinc consanguinei mariti affines uxoris fiunt, & vicissim consanguinei uxoris affines mariti; nam si una caro fuerit (maritus, & uxor) quomodo non poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere (seu propinquitate jungi) nisi pertineat alteri, ut *can. fraternitatis cit.* loquitur Gregorius Papa.
67. **D**efinitur autem Affinitas communiter, quòd sit propinquitas personarum, proveniens ex copula carnali perfecta, omni carens parentelâ, seu cognatione, & consanguinitate. Ita S. Thom. in 4. dist. 41. q. un. art. 1. q. 3. arg. 2. Gloss. in arbor. affinit. caus. 35. q. 5. Sanch. l. 7. de Matr. D. 64. n. 1. Gutier. c. 99. de Matr. n. 1. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 8. n. 1. Barbof. in Rubr. b. tit. n. 10. Gonzal. in c. 1. eod. n. 5. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. p. 2. §. 4. n. 18. Vallens. hic §. 3. n. 1. Engl. §. 2. n. 1. Zœf. n. 8. Honor. n. 7. Pirhing n. 21. König n. 20. Wiestner n. 34. Reiffenstuel n. 32. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 108. & passim TT. ac lcti cæteri. Ultima verba non sic accipienda sunt, quasi Affinitas cum Consanguinitate stare non possit (potest enim aliquis esse simul Consanguineus, & Affinis, uti fuit Jacob, postquam duas sorores Liam, & Rachaelem suas Amitinas duxit) sed quòd Affinitas per se stare possit (uti etiam plerumque stat) absque consanguinitate.
- Ex quo sequitur 1.* Virum, & uxorem non esse inter se propriè affines, sed principium affinitatis, & quasi stipitem, ex quo Affinitatis gradus numerantur, & distinguuntur. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 7. n. 7. Sanch. D. 64. cit. n. 5. Gutier. c. 99. cit. n. 6. Vivian. in c. quod super 5. b. tit. 4. inter virum, Fagnan. ibid. n. 6. Gonzal. in c. 1. eod. n. 7. fin. Honor. hic n. 9. Engl. §. 2. n. 2. Schambog. n. 22. Ratio est, quia Affinitas non est, nec contrahitur, nisi mediante alia persona; conjuges verò sunt sibi immediate matrimonialiter conjuncti, ergo &c.
- Sequitur 2.* Neque ex Sponsalibus de futuro, neque ex Matrimonio rato oriri Affinitatem propriè dictam; quia in utroque casu deest ratio Affinitatis, nimirum conjunctio carnalis per quam solam vir, & mulier una caro efficiuntur: oriatur igitur duntaxat Impedimentum publicæ Honestatis. Gloss. in can. si quis desponsaverit fin. caus. 27. q. 2. Abb. in c. 3. de sponsal. n. 4. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 2. n. 1. & §. 7. n. 3. Sanch. D. 64.

64. cit. n. 25. Gutier. c. 99. n. 7. Coninck D. 32. n. 46. Palao p. 8. n. 2. Vallens. §. 3. n. 2. Zcef. n. 8. Pirhing n. 23. König n. 25. Wiestner n. 34. Reiffenstuel n. 41. Quidam existimant, in effectu parum interesse, an ex Matrimonio rato oriatur Impedimentum Affinitatis, an publicæ Honestatis tantum, cum utrumque Impedimentum protendatur ad gradum quartum. Quod verum est in sententia eorum, qui putant Excommunicationem laram in Clem. un. h. tit. incurrere etiam ab ijs, qui contrahunt Matrimonium cum consanguineis prioris Sponsæ de præsentibus non cognitis, quam sententiam probabilem dicit Petr. de Ledesm. q. 55. art. 9. dub. 1. ad 6. In sententia, negante Excommunicationem hoc casu incurrere, quam certam sibi esse testatur Sanch. l. 7. D. 48. n. 14. effectum habet, quod contrahens Matrimonium cum consanguineis uxoris cognitis Excommunicationem istam incurrat, quam in hac sententia non incurrit contrahens Matrimonium cum consanguineis Sponsæ non cognitis: quæ sententia fundamentum habet in Clem. cit. ubi Excommunicatio solum fertur in contrahentes cum triplici impedimento, videlicet consanguinitatis, affinitatis, & Voti solennis, aut Religiosi: proinde cum poenalis sit Constitutio ista, ad Impedimentum publicæ Honestatis extendi non debet.

70. Sequitur 3. Affinitatem oriri non solum ex copula licita, sed etiam ex illicita; nam qui adheret meretrici, unum corpus cum illa efficitur, ut dicitur 1. Corinth. 6. v. 16. Sanch. D. 64. n. 16. Coninck D. 32. cit. n. 46. Laym. c. 5. n. 1. Palao p. 8. n. 4. Canis. ad Rubr. h. tit. n. 4. Barbof. n. 10. Gonzal. n. 5. Vallens. n. 2. Zcef. n. 8. Engl. §. 2. n. 8. Schambog. n. 20. König n. 25. Reiffenstuel n. 26. Neque obstat textus 1. non facile 4. §. sed quoniam 3. & §. sciendum 2. ff. de grad. & affinit. ubi disertè negatur, affinitatem aliunde oriri, quàm ex iustis nuptiis; quia id negatur non absolute, sed solum quo aliquos effectus Civiles v. g. Successionem: de cætero autem etiam Jus Civile illiciti concubitûs rationem habet, dum l. liberi 4. C. de nupt. matrimonia, inita à liberis cum parentum concubinis, tanquam minus religiosa, & probabilia rejicit: & si etiam isto Jure istius ratio non haberetur, sufficeret Jus Ecclesiasticum, quod in re ista præcipuè spectandum est; nam hoc Jure Affinitatem ex copula fornicaria oriri patet ex c. in litteris 24. de test. & attest. c. discretionem 6. de eo, qui cognovit Eccl. & Trid. sess. 24. c. 2. de reform. Matr.

71. Sequitur 4. Affinitatem non contrahi per copulam solum attentatam, etiam cum refectione claustrî virginalis, seu penetratione vasis foemineæ, sed opus esse, ut copula sit perfecta, immisso, & recepto semine, saltem virili, intra vas naturale foemineæ. S. Thom. in 4. dist. 41. q. un. art. 1. q. 3.

Corp. & q. 4. ad 2. S. Bonav. ibid. art. un. q. 1. S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 15. pr. paulò ante not. 2. Abb. in c. Juvenis 3. de Sponsal. n. 4. Alex. de Nevo in c. fraternitati 7. de eo, qui cognovit Eccl. n. 10. Sylv. V. Matrimonium 2. q. 19. dist. 2. Navar. Mau. c. 22. n. 42. Henric. l. 12. de Matr. c. 16. n. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 64. n. 8. Coninck D. 32. n. 46. Palao p. 8. n. 2. §. 3. Bosco de Imped. Matr. D. 12. sect. 6. concl. 1. Barbof. in c. fraternitati cit. n. 2. Gonzal. ibid. n. 2. §. 7. Engl. hic §. 2. n. 7. Pirhing n. 22. Schambog. n. 20. König n. 25. Wiestner n. 37. Reiffenstuel n. 37. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 3. n. 111. & fumitur ex can. extraordinaria 11. caus. 35. q. 3. Ratio est, quia ad Affinitatem contrahendam requiritur talis copula, per quam vir, & mulier fiunt una caro; atqui non fiunt una caro, nisi per copulam perfectam, & sufficientem ad generationem prolis, qualis est sola illa, in qua semen virile recipitur intra vas foemineum, ut constat ex l. lex Divina 18. caus. 27. q. 2. Et hinc quando c. Juvenis, & c. fraternitati cit. innuitur, attentionem copulæ ad producendum Impedimentum Matrimonij sufficere, id intelligendum est de Impedimento non Affinitatis, sed publicæ honestatis; ut cum alijs notat Sanch. l. cit. n. 19.

Sequitur 5. non oriri affinitatem ex 72. copula Sodomitica habita in vase præpostero, & contra naturam, uti neque ex quacunque pollutione extra vas debitum; quia ex ea non potest sequi generatio prolis: & contrario oriri illam ex copula habita cum foemina dormiente, ignorante, coacta, ebria, insana, seu amente, vel ex copula occulta; quia ea sufficiens est ad generationem prolis. Sanch. l. cit. n. 12. 13. 17. §. 18. Laym. n. 1. Gonzal. in c. 1. h. tit. n. 5. Honor. hic n. 7. Pirhing n. 23. Schambog. n. 21. Reiffenstuel n. 40. §. 44.

Sequitur 6. Non contrahi Affinitatem 73. ex copula, in qua sola foemina feminat; quia ea non est satis ad generationem prolis. Sanch. n. 10. Pirhing n. 22. propè fin. Schambog. n. 20. Reiffenstuel n. 42. §. 43. An verò sufficiat copula consummata solum ex parte viri, an verò requiratur etiam semen foemineæ, controversum est inter DD. Sanch. n. 21. & ab eo cit. putant ad Affinitatem inducendam sufficere consummationem ex parte solum viri. Contra Clericat. de Sac. Matr. decis. 31. n. 6. cum alijs apud Sanch. n. 20. requirunt consummationem etiam ex parte foemineæ ob can. Lex Divina cit. ubi requiritur utriusque sanguinis commixtio.

Quæritur 2. Quotuplex sit Affinitas? 74. n. Olim triplex fuit Affinitatis genus juxta can. de propinquis 3. & can. fin. caus. 35. q. 3. Primum, quod mediante una tantum persona, contrahebatur. Alterum, quod mediantibus duabus. Tertium, quod mediantibus tribus, Quod melius exemplo, quàm

quàm alia ratione declaratur. Itaque si Titius frater meus Matrimonium ineat, & consummat cum Bertha, hæc mea, & cæterorum Titij consanguineorum affinis est in primo genere Affinitatis. Quodsi dein Titio fratre meo mortuo, Bertha copuletur Sempronio, oritur secundum genus Affinitatis, quâ Sempronius, alter Berthæ maritus, me, cæterosque Titij consanguineos contingit. Si demum, mortuâ etiam Berthâ, Sempronius Matrimonio jungatur Cajæ, cum hac Sempronij uxore ego, & reliqui Titij consanguinei contrahimus tertium Affinitatis genus.

75 Omnia hæc Affinitatis genera antiquo Jure dirimebat Matrimonium, prout constat ex *can. de propinquis cit. & seqq.* Postea in *Concil. Later. sub Innocentio III.* statutum fuit, ut sublato secundo, & tertio genere, conjugia non dirimantur, nisi inter Affines primi generis, prout patet ex *c. non debet s. h. tit.* & notat Tanner. *tom. 4. D. 8. q. 4. dub. 7. n. 117.* Barbof. in *Rubr. h. tit. n. 11.* Gonzal. in *c. 1. eod. n. 6.* Fagnan. in *c. non debet cit. n. 14.* Canif. *ibid. n. 3.* Vallenf. *hic §. 3. n. 5.* Zoel. *n. 9.* Honor. *n. 13.* Engl. *§. 2. n. 6.* Pirhing *n. 27.* Schambog. *n. 28.* König. *n. 22.* Wiestner *n. 39.* Reiffenstuel. *n. 34.* Magnif. P. Schmierp. *p. 3. de Matr. c. 3. n. 119.*

76 Excipiunt nonnulli cum Schneidevvin *Inst. de Nupt. de Arb. Affinit. n. 13.* eos, qui constituti sunt in secundo Affinitatis genere in linea recta, & se habent per modum parentum, & liberorum, ut si quis vellet ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. *Rationem* dat, qui ita expressè disponitur *Jure Civili l. uxorem 15. ff. de rit. nupt.* ubi Papinianus, *Uxorem*, inquit, *quondam Privigni conjungi matrimonio Vitrici non oportet; nec in Matrimonium convenire novercam ejus, qui privigne maritus fuit.* *Conf. ex l. non facile 4. §. bos itaque 7. ff. de gradib. & affinit.* ubi pro regula traditur, *nefas esse, eos, qui affinitatis causâ parentum, liberorumque loco habentur, Matrimonio copulari.*

77 Sed dicendum cum Zoel. *hic n. 9.* Engl. *n. 6. fin.* König. *n. 22.* P. Friderich. *de Consangu. & affin. p. 2. q. 1. art. 1. n. 58.* Leges illas Civiles per *c. non debet cit.* abrogatas esse; neque enim verum est, quod ait Schneidevvin, *textum illius cap. solum loqui de Affinitate Affinitatis in linea transversa: nam textus universalis est, & Canonistæ passim eum universaliter intelligunt. Neque dicas, juxta multorum sententiam, quam ego n. 37. amplexus sum, c. cit. dum Consanguinitatis, & Affinitatis Impedimentum reducit à septimo gradu ad quartum, loqui solum de Linea obliqua, ac proinde de hac sola etiam loqui tunc, quando aufert Impedimentum, quod olim oriebatur ex affinitate affinitatis. Negatur enim sequela: rationem cur in priore casu loquatur solum*

de linea obliqua dedi *n. cit.* illa autem ratio non pugnat in casu posteriore, ut consideranti patebit.

Poterit igitur aliquis ducere privignam, vel novercam suæ uxoris defunctæ. Dixi *privignam, vel novercam*; vera enim mater, & vera filia uxoris, licet ex alio Matrimonio habita, in uxorem duci non potest, ut bene Engl. *n. 6. cit. §. notanter, & patet ratio; quia est primo affinitatis genere conjuncta.*

Quæritur 3. Inter quos oriatur affinitas? *¶* contrahitur inter consanguineos uxoris ex una parte, & inter maritum ejus ex altera: & rursus inter consanguineos mariti ex una parte, & inter uxorem illius ex altera: non autem mutuo inter consanguineos viri, & consanguineos uxoris, ut constat ex *c. non debet s. h. tit.* Engl. *hic §. 2. n. 5.* Schambog. *n. 21. ibid.*

*Ex quo sequitur*, consanguineos mariti licet, & validè contrahere posse Matrimonium cum consanguineis uxoris, & hoc vicissim cum illis, prout sumitur ex *c. quod super s. h. tit.* & notat Gloss. *ibid. V. impediri*, Vivian. *ibid. pr. Fagnan. n. 1. §. 3.* Barbof. *n. 1.* Gutier. *c. 99. n. 8.* Schambog. *n. 21. cit.* Ratio est, quia Affinitas non causat Affinitatem: intellige, propriè dictam; nam latè loquendo consanguinei mariti, & consanguinei uxoris affines dicuntur. Vel si velis litigare de nomine, concedam tibi, etiam hos inter se invicem dici simpliciter Affines posse, non tamen tales, ut propterea inter eos impediatur, aut dirimatur Matrimonium. Alex. de Nevo in *c. quod super cit. n. 4.* Pirhing *hic n. 25.*

Et hinc 1. validè, & licet Matrimonium ineunt duo fratres cum duabus fororibus, uti etiam pater, & filius cum matre, & filia, Canif. in *c. 5. cit. n. 1.* Vallenf. *hic §. 3. n. 1.* Zoel. *n. 8.* Engl. *§. 2. n. 5.* Wiestner *n. 41.* Reiffenstuel. *n. 35.* 2. Privignus cum matre, filia, aut forore Novercæ, & privigna cum patre, filio, aut fratre Vitrici; quia Privignus, & Privigna solius Vitrici, aut Novercæ, non etiam personarum, his sanguine conjunctarum, Affines sunt. 3. Fratris, & sororis mortuorum superflites conjuges inter se, ita, ut Berta Titij demortui uxor nubat Cajæ marito superstiti Mæviæ sororis Titij; nam Bertha, & Cajus nulla affinitate conjuncti sunt. 4. Filius mariti, & filia uxoris, ex matrimonij antea cum alia, vel alio initis procreati. 5. Valida sunt Matrimonia, successivè inita cum duabus viduis, quarum defuncti mariti erant fratres Germani inter se invicem. Pluribus exemplis hanc rem illustant Tanner. *tom. 4. D. 8. q. 4. dub. 7. n. 118.* & Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 5. n. 4.*

Quæritur 4. An etiam Affinitas sui patrem, Lineas, & Gradus habeat? *Ratio dubitandi sumitur ex l. non facile 4. §. gradus s. ff.*

5. ff. de gradib. & Affinib. ubi negatur, quòd gradus Affinitati ulli sint. Verùm hic textus intelligendus est, quòd non habeat gradus, sicut Consanguinitas, quæ per diversas generationes diversos gradus fortitur, cum tamen Affinitas ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis. De cætero negari non potest, quòd etiam Affinitas gradus suos habeat, quòd clarè admittitur l. Jurisconsultus 10. ff. eod. & probat ratio; sicut enim unus ex consanguineis est propinquior altero, ita etiam inter Affines; utique enim magis propinqua Affinitate mihi jungitur soror uxoris meæ, quàm illius sororis filius, aut nepos.

83 Hinc sicut Consanguinitas, ita & Affinitas in Stipitem, Lineam, & Gradum distingui solet. Stipitem constituunt mas, & femina, inter quos carnalis copula intercessit, utpote cum ipsi non fiant affines inter se, sed principium Affinitatis fiat, ut dictum est n. 68. Linea alia est Recta, alia Obliqua. In linea recta Affines uxoris sunt, qui in linea recta sunt consanguinei mariti; & vicissim, qui in linea recta consanguinei sunt uxoris, sunt in eadem linea Affines mariti. In linea obliqua ponuntur respectu uxoris, qui in linea obliqua consanguinei sunt mariti; & vicissim, qui in linea obliqua consanguinei sunt uxoris, Affines in linea obliqua sunt marito. Gradus est distantia unius personæ ab altera, sicut dictum est suprâ de Consanguinitate n. 14.

84 Porro pro Gradibus Affinitatis veræ inter se dignoscendis, & statuenda illorum distantia, Regula hæc communiter recepta est apud DD. videlicet: In eo aliquis gradu est Affinis uxoris, in quo gradu consanguineus est mariti; & vicissim in eo gradu affinis est mariti, in quo gradu consanguineus est uxoris. Unde consanguinei viri in primo gradu sunt Affines uxoris etiam in primo gradu; & consanguinei viri in secundo gradu, sunt affines item uxoris in secundo gradu, & sic de cæteris. Idemque est de consanguineis uxoris. Tanner. tom. 4. D. 8. q. 4. dub. 7. n. 118. Sanch. l. 7. de Matr. D. 64. n. 3. Vivian. in c. 1. b. tit. pr. Gonzal. ibid. n. 7. fin. Zæf. hic n. 9. Pirhing n. 24. Schambog. n. 4. König n. 29. Wietner n. 39. Reiffentuel n. 51.

85 Pro dignoscenda vera Affinitate ab Affinitate per accidens, & improprie dicta Laym. l. 5. tit. 10. p. 4. c. 5. n. 4. ex Navar. l. 4. conf. 3. b. tit. hanc tradit Regulam, videlicet quando neque vir carnaliter cognovit consanguineam mulieris, cum qua ille Matrimonium inire cupit, neque mulier carnaliter cognovit consanguineam viri, tunc siqua inter eos Affinitas est, ea tantum est per accidens, ita, ut Matrimonium postea contractum non impediatur, nec dirimat. Exempli causâ Titius contraxit Matrimonium cum Caja, & hoc consummavit: ex R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Matrimonio sic consummato consanguinei Titij fiunt proprie dicti Affines Cajæ, & consanguinei Cajæ Affines Titij, frater verò Titij sorori Cajæ tantum fit affinis per accidens, & improprie: quia, ut ponitur, nec frater Titij carnaliter cognovit aliquam consanguineam sororis Cajæ, nec soror Cajæ aliquem Consanguineum fratris Titij: quare si Matrimonium inire voluerint inter se, poterunt, non obstante hac sua Affinitate.

Quæritur 5. An vinculum Affinitatis 86 ex Matrimonio sit naturale, vel potius inventum Ecclesiæ, ut publica Honestas ex Sponsalibus de futuro, & Cognatio Spiritualis? Merum Ecclesiæ inventum esse duplex videtur probare ratio. 1. Quia, ut n. 86. dixi, inter ipsos Conjuges non oritur Affinitas; non autem apparet, quomodo per conjunctionem, per quam ipsi Affines non fiunt Affines fiant aliorum. 2. Inter Consanguineos datur propinquitas naturalis, quia à natura participant communem sanguinem; Affines autem nihil à natura commune participant, ex quo aliqua inter ipsos necessitudo resultare possit; neque enim copula inter eos intercedit, neque ex eodem sunt sanguine.

Sed dicendum procul dubio est, affinitatem, ex copula conjugali ortam, non esse merum Ecclesiæ inventum, sed quid naturale, instar Consanguinitatis, etiam stante ea sententia, quæ docet, nullam Affinitatem Jure naturali dirimere Matrimonium, de quo infra. Ita S. Thom. in 4. dist. 41. q. un. art. 1. q. 1. Corp. Durand. ibid. q. 1. n. 7. S. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 11. fin. princ. Veracrux p. 1. Specul. art. 47. concl. 1. Petr. de Ledefm. de Matr. q. 55. art. 1. diffc. 1. ad 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 65. n. 4. Ratio est, quia ob id Consanguinitas est quid naturale, quia naturalis cujusdam amicitie, & conjunctionis fundamentum est; simile autem fundamentum reperitur etiam in Affinitate; nam teste Aristotele 8. Et b. c. 12. duplex est naturalis amicitie causa, una, quæ per carnis propagationem descendit, altera, quæ per carnis unitatem, & conjunctionem ad eandem generationem, qualis in copula conjugali reperitur. Conf. 1. nam quòd per carnis conjunctionem conjuges efficiantur una caro, est de Jure nature, cujus instinctu Adam dixit, Erunt duo in carne una. Gen. 2. ergo necesse est, ut eodem Jure nature consanguinei unius contrahant propinquitatem cum altero conjuge, & hæc est Affinitas. Conf. 2. quia ut cum alijs notat Sanch. l. cit. etiam Gentes barbaræ agnoverunt Affinitatem inter conjuges, & eorum consanguineos; & ideo ad hanc significandam varia invenerunt nomina Soceri, Vitrici, privigni, generi, noverca &c.

Ex quo sequitur, Infidelem, qui cum uxore consummavit Matrimonium tempore infidelitatis, non posse post Baptismum vali-

dè inire Matrimonium cum consanguinea uxoris usque ad quartum gradum. Constat ex c. *fin. de Divort.* ubi deciditur, Infideles conversos ad fidem, non posse ducere uxores, quibuscum illorum fratres tempore infidelitatis contraxerunt Matrimonium. Ratio est, quia cum talis Affinitas juxta dicta *u. præc.* sit vinculum quoddam naturale, etiam oritur inter Infideles, & manet etiam post Baptismum; post Baptismum autem jam subjacent Legi Ecclesie irritantis conjugia inter Affines intra quartum gradum; ergo &c. Dixi post Baptismum; nam si ante Baptismum Infidelis Matrimonium contrahat cum uxore fratris sui infidelis defuncti, Matrimonium valet; quia Affinitas illa, ut *n. 96.* dicitur, non dirimit Matrimonium Jure naturali, sed solo Ecclesie, à quo illi exempti sunt.

89 Neque urgent Argumenta opposita.

*Ad 1.* licet Affinitas inter conjuges nulla detur, datur tamen unitas, quæ principium Affinitatis est. Unde sicut nemo consanguineus sibi est, sed communio sanguinis facit, ut alius sit consanguineus, ita licet uxor, & maritus sibi non sint Affines, unitas tamen carnis, quæ fit per copulam, facit, ut alius Affines fiant, & ipsi alius. *Ad 2.* sicut ut quis fiat consanguineus fratris, quem sua ipsi mater pariet, necesse non est, ut aliquid ei cum fratre commune de novo accedat; ita ut quis Affinis fiat uni conjugum, opus non erit, ut ex parte ipsius aliqua detur mutatio, sed sufficit, ut ejus consanguineus fiat alterius conjux.

90 Quæritur 6. an naturale sit etiam vinculum Affinitatis, ortum ex copula illicita? Negant Navar. *l. 4. cons. 7. de Sponsal. edit. 1. n. 3. & tit. de consang. cons. 12. n. 3. 4. & 5.* Henric. *l. 12. de Matr. c. 1. n. 2.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 65. n. 9.* Treul. *Vol. 2. D. 6. ib. 3.* Gonzal. *in c. 1. b. tit. n. 8.* Fundamenta illorum sunt. 1. Quia si vinculum naturale induceret copula illicita, illud fuisset agnitum etiam Jure antiquo Romano; non autem hoc Jure agnita fuit Affinitas, nisi ex solis nuptijs *l. non facile 4. §. sed quoniam 3. & §. sciendum 8. ff. de Gradib. & Affinib.* 2. Affinitas, sicut omnis necessitudo inter personas, jus est; coitus autem illicitus, eo ipso, quod illicitus sit, non Juris, sed facti est. 3. Si Affinitatis, ex copula illicita ortæ, vinculum naturale esset, naturaliter inclinaretur filius ad exhibendam aliquam reverentiam scemine, à suo patre cognitæ; teste autem experientia, fit contrarium; nam potius inter illos ex hac ratione oritur odium, & aversio. 4. Ad significandum vinculum naturale amicitie, ortum ex Matrimonio, imposita sunt nomina *Soceri, Generi, Virici, Noverce &c.* nulla hujusmodi nomina imposita sunt Affinibus per copulam fornicariam; ergo &c.

91 Sed probabilius etiam vinculum Affinitatis ex copula illicita est naturale. Ita

Joan. Andr. *in c. 1. n. 2. de convers. infidel.* Covar. *p. 2. de sponsal. c. 6. §. 7. n. 2.* Palæot. *de spurij c. 7.* Vinn. *in §. 9. Inst. de Nupt.* Wifsenbach *p. 1. D. 44. §. 22.* Bachov. *in Treul. Vol. 2. D. 6. ib. 3. Lit. D. P. Melchior Friedrich. de consang. & affinit. p. 2. q. 2. art. 2. n. 61.* Ostenditur, quia tota ratio, ob quam ex copula conjugali oritur affinitas Juræ naturæ, est, quia vir, & uxor per copulam efficiuntur una caro ad prolis generationem, ac consanguinei proinde unius Jure naturali efficiuntur affines alterius; atqui hæc ratio, secluso omni præcepto Ecclesiastico, invenitur etiam in copula fornicaria; nam ut Apostolus *1. Corinth. 6. v. 16.* ait, *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur. Ex quo sequitur, quodsi Infidelis in infidelitate aliquam fornicariè cognovit, si deinde suscipiat Baptismum, non possit ille ducere matrem illius, vel filiam, aut forem; quia cum his contraxit affinitatem, quæ licet Matrimonio ejus non obstat, dum infidelis est, cum Legibus Ecclesie non ligetur, obstat tamen incipit post Baptismum, cum post hunc affinitas contracta perseveret.*

Neque obstant Argumenta opposita. 92

*Ad 1.* etiam Jus Civile Affinitatem agnovit ex copula illicita, & ideo *l. liberi 4. C. de Nupt.* vetuit, ne liberi Matrimonium cum parentum concubinis inirent, ut *n. 70. supra* monui; & hinc, quando *l. non facile 4.* negatur Affinitas ex copula illicita, id intelligendum de Affinitate, non naturali, sed civili, ut ibidem dictum est, ne admitti debeat Antilogia Legum. *Ad 2.* Argumentum probaret, quod ex copula illicita etiam non oriatur Consanguinitas. Dicendum ergo, Dictionem *Jus* in duplici sensu posse accipi, in uno, prout idem est, quod *Justum*, in altero, prout significat id, quod est Jure statutum: in primo sensu affinitas ex copula illicita jus non est, est autem in secundo, *ad 3.* reverentia, quæ ex copula carnali Patris cum concubina in prioris filio naturaliter oritur, est, quod iste vereatur carnaliter jungi concubine patris: quæ reverentia non stat necessariò cum amicitia; & ideo juncta esse cum aversione, & odio talis foemine potest ob dedecus, quod flagitio suo pater asperfit filijs. Certè affinitatem filij cum Noverca sua indubitatè contrahunt, licet sæpe contingat, ut illa aversetur privignos, & hi illam. *Ad 4.* iisdem nominibus etiam compellari possent Affines ex copula illicita: abstinemus tamen communiter ab iisdem, quia talis Affinitas probro ducitur; quæ autem probrosa nobis judicamus, eorum etiam appellatione erubescimus.

Quæritur 7. Quo Jure dirimatur Matrimonium, initum inter Affines lineæ transversæ? Certum est *1.* in nullo gradu Lineæ transversæ dirimi Matrimonium ob Affinitatem, ortam ex copula fornicaria; licet enim, ut *n. 91.* dixi, vinculum illius sit na-

naturale, tantum tamen non est, ut sufficiat ad dirimendum Matrimonium ipso Jure naturæ. *Conf.* quia cum sic Affinibus, si Impedimentum occultum sit, ad Matrimonium contrahendum dispensat Pontifex in Sacra Poenitentia, & dispensandi facultatem concedit alijs: quod certè non fieret, si Affinitas, ex fornicatione orta, de Jure naturæ obstatet valori Matrimonij, inter sic Affines contracti.

<sup>94</sup> Certum est 2. non esse Jure Naturæ irritum Matrimonium, in initio inter Affines secundi, & ulterioris gradus Lineæ transversæ, etsi Affinitas orta sit ex copula licita, seu conjugali, ob eandem rationem: cui accedit; quia minus vinculum est Affinitas, quam Consanguinitas; atque conjugium inter Consanguineos secundi, & ulterioris gradus non est Jure naturæ irritum, ut dictum est n. 44. *§* seqq. ergo nec in initio inter sic Affines. Dixi, non est irritum Jure naturæ; negari enim non potest, quòd hujusmodi Matrimonium, nisi illud causa aliqua cohonestet, illicitum sit; quia indecentiam aliquam continet, eamque tanto majorem, quanto propinquiori inter se gradu Affinitatis contrahentes conjuncti sunt.

In dubium revocari potest duntaxat, an Jure naturali irritum sit conjugium, in initio inter Affines, in primo gradu lineæ transversæ conjunctos, ut sunt maritus, & uxoris defunctæ soror, uxor, & mariti defuncti frater? Affirmant cum quibusdam antiquioribus temporis nostri Sæctarij. *Fundatur* 1. textu *Lev. 18. v. 16.* ubi disertè vetatur conjugium cum fratris uxore. 2. Ex eodem *v. 9.* ubi prohibetur conjugium fratris cum sorore, uxor autem fratris fororis rationem respectu istius habet, quippe quæ per Matrimonij consummationem unus sanguis, & caro facta est cum marito suo; conf. etiam fratre illius. 3. Ex *Matth. 14. v. 4.* & *Marc. 6. v. 18.* ubi S. Joannes Baptista increpat Herodem Job ductam fratris sui Philippi uxorem, dicens, *Non licet tibi ducere uxorem fratris tui.* Atqui malè de hoc objurgasset Herodem Joannes, si ejusmodi conjugium non esset prohibitum Jure naturali; nam præceptis *Leviticæ*, tanquam Gentilis, non adstringebatur. 4. Ex *c. gaudemus 8. de Divort.* ubi in principio dicuntur Infideles conjugæ, cum ad Fidem convertuntur, non separandi, si antea in Infidelitate conjuncti fuerint in Matrimonium in secundo, & ulteriori gradu. igitur Argumento sensu contrario, separandi sunt, si sint conjuncti in primo gradu: hoc autem non ex alia causa, quam quòd conjugia ejusmodi Jure naturali sint irrita; nam Lex Divina de hoc non amplius extat, Jure Ecclesiæ autem, quamdiu Infideles sunt, non obligantur, ergo &c.

<sup>96</sup> Sed his non obstantibus, dicendum, etsi Matrimonium in primo gradu Affinitatis  
R. P. Schmalzgrueber L. IV.

Lineæ transversæ naturalem quandam indecentiam habeat, & propterea illicitum sit tanta tamen non est ista indecentia, ut etiam sit irritum Jure naturali, & ita, ut ex justa causa, præsertim accedente publica Superioris auctoritate, cohonestari non possit. Ita Cajet. *tom. 3. Opusc. 17. 14. de Conjug. Reg. Angl. ad Clem. VII. Duaren. ff. solut. Matr. tit. de Nupt. c. 3. Cujac. l. 3. obs. 12. & ad tit. de Grad. Covar. p. 2. de Spousal. c. 6. §. 10. n. 7. & seqq. Bellarm. l. 1. de Matr. c. 28. Valent. p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. §. in alijs, Petr. de Ledesm. de Matr. q. 55. art. 6. Menoch. de arbitr. cas. 502. n. 22. Sanch. l. 7. de Matr. D. 66. n. 11. Pont. l. 9. de Matr. c. 34. n. 3. Palao *tr. 28. D. 4. p. 8. n. 11.* Zoesl. *hic n. 35.* Pirhing. *n. 34.* Schambog. *n. 33.* König *n. 24.* Wieselner *n. 46.* Reiffenstuel *n. 48.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Matr. c. 3. n. 140.* & cæteri RR. magno consensu, habentque omnes doctrinam istam instar Veritatis Catholicæ.*

*Ostenditur* 1. Exemplis Legis Naturæ adhuc durantis; nam *Gen. 29. v. 23.* & *28.* Jacob Patriarcha in uxorem accepit duas sorores filias Laban, Liam, & Rachelem; & *ibid. c. 38. v. 8.* Judas relictam primogeniti sui dedit alteri suo filio Onan: neuter autem in Scriptura propterea reprehenditur tanquam transgressore Legis naturæ. 2. *Ex Lege Mosaica*, ubi *Deut. 25. v. 5.* præcipitur univèrsim, ut frater ducat uxorem fratris sui, si hic sine liberis defunctus sit, ut suscipiat ei semen. 3. *Ex Jure Ecclesiastico c. fin. de divort.* ubi Innocentius III. statuit, permittendos in conjugio Infideles convertos ad fidem, etsi istud contraxissent cum sorore uxoris suæ defunctæ, atqui permitti non possent in conjugio isto persistere, sed separandi essent, si ejusmodi conjugia forent Jure naturæ irrita. 4. *Ex paritate*; nam æquius est vinculum inter consanguineos lineæ transversæ in primo gradu, quam inter Affines lineæ transversæ in illo gradu conjunctos. atqui, ut à *n. 46.* ostensum est, inter consanguineos lineæ transversæ etiam primi gradus Matrimonium non est ipso Jure naturæ irritum, ergo &c. 5. *Ex ratione*; quia ex Affinibus lineæ transversæ neuter est alterius Superior: proinde à neutro alteri debetur specialis reverentia, & submissio; vel si qua debetur, ea tanta non est, ut Matrimonium inter eos exigat irritari Jure naturæ. 6. *Ex praxi Ecclesiæ*, quæ in eodem gradu primo lineæ transversæ sæpius dispensavit; sic enim legimus dispensatum fuisse ab Alexandro VI. cum Rege Lusitaniz; à Julio II. cum Henrico VIII. Rege Angliæ ad ducendam Catharinam Arcturi fratris sui defuncti uxorem; à Clemente VIII. cum Casimiro Poloniæ Rege ad ducendam relictam fratris sui Uladislai; & novissimè adhuc vivens exemplum habet Italia in Francisco Farnesio Duce Parmensi, qui

mortui fratris conjugem uxorem habet Serenissimam Dorotheam Sophiam Neoburgicam. Impugnavit quidem Dispensationem à Pontifice secum factam Henricus, tanquam illegitimam, qui propterea Catharinam repudiavit; sed pro valore ejus steterunt celeberrimæ per Europam Univeritates, imò pro ipsa à Clemente VII, speciali Bullâ editâ pronuntiatum, ut adeo dubium amplius esse nequeat de veritate responsionis.

98 Neque veritatem istius convellunt, aut dubiam reddunt, quæ à Sectarijs opponuntur. *Ad 1.* Jam *suprà* à n. 38. ostensum est, non in omnibus Gradibus, prohibitis in Levitico, Matrimonia Jure naturali irrita esse. *Ad 2.* Ostensum est à n. 46. conjugium fratris cum sorore probabilius Jure naturali non esse irritum: quodsi Jure hoc non subsisteret, inde tamen non sequeretur, quòd eodem Jure etiam irritum sit ininitum cum uxore fratris, aut mariti fratris; nam Affinitas minor est consanguinitate, & frater cum uxore sua unus efficitur sanguis, & caro, non verè, ac propriè, sed impropriè propter utriusque sanguinis commixtionem, & conjunctionem carnis in copulatione. *Ad 3.* S. Joannes Herodem reprehendit ob ductam uxorem fratris sui, quia is adhuc vivebat, ut cum S. Hieronymo, *Beata, Doctore Angelico, Josepho* & alijs testis est Bellarm. *l. cit. n. 27.* & esto, quòd Philippus Herodis frater jam fuerit mortuus, adhuc non licuit Herodi uxorem fratris sui ducere ob Legem Judaicam, quam Herodes teste Josepho *l. 3. antiq. c. 17.* cum cæteris Idumæis sectatus fuit; hæc enim vetuit conjugium cum uxore fratris jam defuncti, si iste liberos reliquisset. *Levit. 18. v. 16.* reliquit autem Philippus filiam saltaticem. *Ad 4.* Imprimis c. *gaudemus cit.* ut observant Sanch. *D. 66. cit. n. 12. fin.* Perez *D. 31. sect. 4. n. 3.* & cum his; P. Wiestner *hic n. 48. fin.* sermo est de solis consanguineis: deinde esto, sermo sit etiam de Affinibus, de secundo, & ulteriori gradu ibi meminit Pontifex, quia de primo non fuit consultus; aliàs mentem suam clariùs explicasset, sicut fecit c. *fin. de Divort.*

99 Quæritur 8. Quo Jure irritum sit Matrimonium inter Affines lineæ rectæ in primo gradu? Dupliciter formari hoc dubium potest, an in isto gradu, & linea Matrimonium Jure naturali dirimat Affinitas, orta ex copula fornicaria; & an saltem eo Jure dirimat Matrimonium Affinitas, orta ex copula conjugali?

Etiam ex copula fornicaria ortam Affinitatem in isto gradu, & linea Jure naturali dirimere Matrimonium, affirmant D. Antonin. *3. p. tit. 1. c. 11. §. 1. pr.* Celaja *in 4. dist. 40. q. un. post 4. argum. dub. 1.* Conink *D. 32. n. 53.* ex ratione, quia indecens esse videtur, etiam secluso Jure Ecclesiastico, concubinam patris sui in uxorem ducere,

quod etiam prohibitum reperitur *l. liberi 4. c. de Nupt.* nam tota ratio, ob quam contrahitur Affinitas inter aliquos, est, quia per copulam carnalem fiunt una caro, hoc autem fit verè, & propriè etiam per copulam fornicariam juxta illud Apostoli. *1 Corinth. 6. Qui adheret meretrici* (scilicet per fornicationem, de qua ibi sermo est) *unum corpus efficitur cum ea, & erunt duo in carne una,* ut ibi additur, ergo etiam hæc copula naturaliter inducet Affinitatem: si Affinitatem, etiam Impedimentum Matrimonij, ergo &c.

Sed meliùs cum Navar. *l. 4. conf. 12. 10a b. tit. n. 3.* Petr. de Ledesm. *de Matrim. q. 55. art. 6. circa 1. statum affinitatis, diffic. 2. concl. 3.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 66. n. 3.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 6. n. 7.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 8. n. 10.* Pirhing *hic n. 33.* Wiestner *n. 49.* Reiffenstuel *n. 50. P. Melchior Friderich p. 2. de consang. & affinit. q. 3. art. 1. n. 81.* dicendum est, inter sic affines conjugium solum dirimi Jure Ecclesiastico: cons. siquis tempore Infidelitatis fornicatus fuit cum Titia, & postea duxerit ejus filiam, Matrimonium erit validum, neque separandi conjuges, si postea ad fidem convertantur. Ratio responsionis est 1. Quia Affinitas ex fornicatione non est ita perfecta, sicut illa, quæ oritur ex legitimo Matrimonio, ut observat Card. de Lugo *l. 1. respons. mor. dub. 40. n. 29.* & licet indecentiam gravem habeat Matrimonium in tali gradu Affinitatis ininitum, tanta tamen illa non est, ut ob eam afferendum sit, quòd Author naturæ ejusmodi Affinibus negarit potestatem tradendi se inivicem in conjugium. 2. Quia, ut statim *n. 103.* dicitur, Matrimonium Jure naturæ non dirimit Affinitas in primo gradu Lineæ rectæ, licet illa sit orta ex copula licita, igitur multo minis illud dirimit, si sit orta ex copula fornicaria, & illicita. 3. Quia ad conjugium, inter ejusmodi Affines contrahendum, & jam contracti usum, quando Affinitatis Impedimentum est occultum, Sedes Apostolica non rarò dispensat in Sacra Pœnitentiaria, & ita dispensandi facultatem committit alijs, prout teste Rebell. *p. 2. de Jus. l. 3. q. 15. n. 9.* S. Pius V. Cardinali Henrico Lusitano Principi facultatem concessit dispensandi in Affinitate cujuscumque gradus, proveniente ex fornicatione occulta.

Ex quo cadit Argumentum Sententiæ oppositæ; neque enim omnis Affinitas, etiam Jure naturali orta, eodem Jure dirimit Matrimonium.

Difficultas igitur potissima præsentis quæstionis est, an Affinitas, quæ orta est ex copula conjugali, inter primi gradus Affines in lineæ recta, v. g. focerum, & nurum, socrum, & generum, vitricum, & privignam, novercam, & privignum, naturali, an solum positivo Jure Matrimonium irritet?

Naturali Jure hoc casu Matrimonium irritari, affirmant S. Thom. in 1. Corinth. 5. §. 1. Paludan. in 4. dist. 41. q. 1. art. 5. concl. 2. n. 27. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 11. §. 1. pr. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 15. dist. 6. & V. Papa q. 17. Sot. dist. 41. cit. q. un. art. 3. Covar. p. 2. de Sponsal. c. 6. §. 10. n. 6. Bellarm. l. 2. de Matr. c. 28. not. 2. Valent. p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. Vasq. 1. 2. q. 74. art. 8. D. 112. n. 7. Tanner. tom. 4. D. 8. q. 4. dub. 7. n. 123. Conink D. 32. n. 53. Laym. l. 5. tit. 10. p. 4. c. 6. n. 5. Canif. in c. 3. b. tit. n. 15. Zocf. hic n. 36. Pirhing n. 32. Schambog. n. 30. Reiffenstuel n. 49. P. Melchior Friderich p. 2. de consang. & affinit. q. 3. art. 1. n. 72. & favet admodum S. Augustinus relatus can. si vir 15. caus. 35. q. 2. §. 3. ubi sic ait: Si vir, & uxor non duo, sed una caro sunt, non aliter est nurus deputanda, quam filia. atqui patris cum filia Matrimonium Jure naturali est irritum, igitur etiam Soceri cum nuru.

103 Ostendunt 1. Ex Lege Divina veteris Testamenti, primò quidem Levit. 20. à v. 11. ubi ejusmodi nuptiæ, tanquam grande nefas, gravissimis poenis subjiciuntur: deinde autem Amos 2. v. 7. ubi tanquam gravissimum scelus exaggeratur filij, & patris cum eadem puella concubitus, quòd eo Nomen DEI sanctum violârunt, i. e. Gentibus, tales concubitus abominantibus occasionem dederint, Nomen Domini DEI sanctum blasphemandi. 2. Ex Lege nova, & illo Apostoli 1. Corinth. 5. v. 12. ubi ait: Audite inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ut uxorem patris sui aliquis habeat: qui textus intelligi nequit de uxore patris adhuc viventis, cum magis id factum exaggerare videatur propter extraordinariæ libidinis turpitudinem, ut notat Coninck l. cit. n. 51. & ex eo Pirhing hic n. 32. 3. Autoritate Concilij Arvernensis, quod c. 11. ait, conjugio, inito inter novercam, & privignum, naturæ Jura perumpi. 4. Textibus Juris Civilis l. si adulterium 38. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. & l. fin. §. noverca 1. ff. de condit. fin. caus. ubi ejusmodi nuptiæ pro incestuosas habentur. 5. Gentium omnium bene institutarum moribus, apud quas abominabiles fuerunt huiusmodi nuptiæ, ut colligitur ex l. liberi 4. C. de Nupt. & l. fin. §. noverca cit. ubi Glossa ait, quòd tale Matrimonium prohibeatur Jure naturali, & Civili. 6. Usu Ecclesiæ; quia nunquam auditum hætenus in Ecclesia est, quòd Pontifex dispensarit in hoc Affinitatis gradu. 7. Ratione; nam vitrico, & novercæ, socero, & socru, cum parentum sint loco §. socrum 7. Inst. de nupt. & l. quia parentis 16. ff. solut. Matr. eadem ferè, quæ parentibus, reverentia, & submissio debetur, huic autem adversari videtur mutua conjugum obligatio, & actus conjugalitatis turpitud. ergo &c.

Verùm his non obstantibus, dicen 104 dum, probabilius Matrimonium, contractum inter Affines etiam primi gradus in linea recta, non naturali, sed Ecclesiastico tantum Jure irritum esse. Ita videtur sentire S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. ubi inter solos parentes, & filios clarè dicere videtur prohiberi Jure naturæ Matrimonium. Sequuntur Cajetan. ibid. Abulen. 1. Reg. 8. q. 149. 151. & seqq. Armill. V. dispensare n. 9. & 10. Veracruces p. 2. Specul. art. 25. concl. 3. Henric. l. 12. de Matr. c. 1. n. 2. & c. 9. n. 5. Petr. de Ledesim. de Matr. q. 55. art. 6. circa 1. statum affinitatis, diffie. 2. concl. 1. & 2. Emman. Sæ Summ. V. Matrimonium de Imped. dirim. n. 4. & cum parentibus. Vegetom. 2. Summ. c. 34. cas. 126. ad fin. Sanch. l. 7. de Matr. D. 66. n. 7. Pont. l. 7. c. 34. n. 5. Palao tr. 28. D. 4. p. 2. n. 12. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 93. Gonzal. in c. 1. b. tit. n. 9. Clericat. de Sacr. Matr. decis. 31. n. 34. Wiestner hic n. 50. König n. 24. Magnif. P. Schmier p. 9. de Matrim. c. 3. à n. 149.

Fundamentum Sententia ista habet 104 1. ex Concilij, Agathensi relato can. de incestis 8. caus. 35. q. 2. §. 2. & Epauensis can. 30. quibus statuitur, non dissolvenda esse Matrimonia, inita cum privigna ante suam prohibitionem, ut textum illorum explicant DD. cit. Similis quid habetur in Concilio Aurelianensi III, can. 10. ubi deciditur, conjugia, in infidelitate contracta cum relicta patris, & cum filia uxoris, post susceptum Baptismum solvenda non esse. 2. Exemplis Sacræ, & profanæ Historiæ: sic enim Adonias sibi petijt copulari Abisag, David patris sui relictam 3. Reg. 2. v. 17. & Seleucus Rex Stratonice uxorem secundam Antiocho filio prioris Matrimonij, ex vehementissimo erga eandem amore periculosè decumbenti, factò divorzio cessit, teste Valerio Magno l. 5. c. 7. 3. Ratione; nam si ejusmodi conjugia forent Jure naturali irrita, talia essent ob submissionem, & reverentiam, quam privignus, & privigna debent Vitrico, & Novercæ, gener & nurus Socero, & Socru. atqui neutrum probat, conjugia ejusmodi Jure naturæ esse irrita: non primum; quia ex sic Affinibus neuter alterius superior est, aut alteri, tanquam naturali suo principio, connubiale foedus simpliciter excludenti, subjectus. Non secundum; quia ex reverentia ista non sequitur, quòd per eam conjugium Jure naturali excludatur; & si excluderetur, non excluderetur absolutè, & ita, ut sic initum esset irritum, sed tantum, ut sine gravissima causa sit illicitum.

Neque plus probant Argumenta n. 105 102. allata. Ad 1. Meritò Levit. 20. gravissimis poenis subject DEUS sic contractentes, cum Matrimonium inter ejusmodi personas repugnet naturali decentiæ: ex quo tamen non sequitur, quòd naturali

Jure sit irritum. Quod additur ex Amos Propheta, concubitus patris, & filij cum eadem puella reputatum fuit abominandum scelus, quia non incestus tantum, sed adulterij etiam rationem habebat, quod omni Jure damnatur, & apud Gentes scandalosum est. *Ad 2.* Apostolus textu *cit.* loquitur de Matrimonio, quod filius inijt cum uxore patris adhuc viventis, & renitentis: quod non obscure insinuat ipsemet, dum eam vocat *uxorem*, quam si pater jam fuisset mortuus, appellasset *relictam patris*, ut notat Gonzal. *n. 9. cit.* aliàs Paulus non dixisset, ejusmodi peccatum non esse auditum inter Gentes; nam, ut *n. prec.* dictum est, volente patre adhuc vivo, Antiochus uxorem ejus duxit, & Persæ ducebant *relictam Patris*, ut notat Sanch. *n. 9.* *Ad 3.* Adhuc verum est, hujusmodi Nuptijs perrumpi Jus naturæ; quia licet Jure naturæ non sint irritæ, sunt tamen eo Jure illicitæ. Quod autem *cit.* Concilium dicere non voluerit, quod hujusmodi conjugia sint Jure naturæ irrita, patet, quia idem asserit de Matrimonio inito cum sorore uxoris, quod tamen, ut *n. 96.* vidimus, non est Jure naturali irritum. *Ad 4.* Leges Civiles aliud non evincunt, quam quod ejusmodi Nuptiæ propter naturalem indecentiam merito prohiberi, & irritari potuerint, quæ prohibitione, & irritatione supposita, jure pro incestuosus habentur. *Ad 5.* Patet ex Probationibus nostris, conjugia ejusmodi non fuisse ita universaliter reprobata, ut non ex aliqua causa gravi licerint. Et esto, omnes Gentes ejusmodi conjugia reprobarent unanimiter, ex eo solum sequitur, quod sint naturaliter illicita, non verò, quod etiam sint irrita. *Ad 6.* Causa est naturalis indecentia; nam propter hanc Dispensatio ab Ecclesia ad contrahendum inter ejusmodi Affines Matrimonium nunquam est impetrata: sed neque sperari potest, quod ea aliquando sit impetranda extra casum urgentis omnino extraordinariæ necessitatis. *Ad 7.* Responsum est Argumento tertio, ex Ratione ducto.

**¶ 106** Queritur 9. Ad quotum Affinitatis gradum extendatur prohibitio Matrimonij Jure Ecclesiastico? *n.* hic distinguendum esse inter Jus antiquum, & recentius. *Jure antiquo* Matrimonium inter Affines Legibus Ecclesiæ prohibitum erat usque ad septimum gradum, sicut inter Consanguineos, prout constat ex *can. de Affinitate 1. can. nullum 7. can. equaliter 13. caus. 35. q. 3.* Quæ prohibitio intelligi debet non tantum de Affinitate legitima, seu illa, quæ provenit ex legitimo Matrimonio, sed etiam de illegitima, sive ea, quæ oritur ex fornicatione; quamvis enim in *cit.* Juribus non fiat expressa mentio illegitimæ Affinitatis, nec Jus extet, quod explicet in ea gradus, ad eam tamen DD. omnes, teste Sanch. *l. 7. de Matr.*

*D. 67. n. 3.* prohibitiones illas extendunt. *Ratio est*, quia Jura *cit.* universim statuunt, Affinitate dirimi Matrimonia. oritur autem Affinitas etiam ex copula illicita, ut ostensum est *suprà n. 70.* ergo cum hanc non excipiant, etiam ipsam comprehendunt.

Si loquamur *de Jure recentiore*, ite **¶ 107** rum distingui debet inter Jus constitutum per Concilium Lateranense relatum *c. non debet s. h. tit.* & novissimum Tridentini. Nam *priore Jure* Affinitatis impedimentum contractum fuit ad gradum quartum, ita, ut inter quarti duntaxat gradus Affines inita conjugia sine dispensatione essent invalida. *Ratio* restringendi vim Impedimenti istius, quam Jure antiquo habuit, fuit, quod prohibitio veterum Canonum tam late patens, propter gravia scandala, aliæque incommoda inde orta, jam non amplius observari possit, prout dictum est *suprà de Consanguinitate. n. 58.* Non autem hoc Jure fiebat discrimen inter copulam licitam, & illicitam: unde, ut Sanch. *n. 3. cit.* notat, etiam Affinitas, orta ex copula illicita, usque ad gradum quartum inclusivè dirimit Matrimonium.

Jure autem novissimo *Trid. sess. 24. c. 4. de Reform. Matr.* inductum est discrimen inter Affinitatem, ortam ex copula illicita, & inter eam, quæ provenit ex copula licita; nam illam ita restrinxit, ut deinceps non dirimat Matrimonium, nisi inter Affines primi, & secundi gradus, quod hujusmodi Affinitas sæpissimè contrahatur occultè, & sic ob ignorantiam impedimenti alterutrum sequi necesse esset, ut in sic inito Matrimonio vel non sine magno peccato perseveretur, vel illud non sine magno scandalo dirimatur. *Ex quo sequitur*, Affinitatem ex copula conjugali adhuc dirimere Matrimonium usque ad quartum gradum; tum quia Tridentinum *c. cit.* restringens Impedimentum hoc ad gradum secundum expressit solum illam, quæ ex fornicatione oritur; tum quia in illa, quæ provenit ex copula conjugali, rationes restringendi cessant. Sanch. *D. 67. cit. n. 5.* & apud eum plurimi alij.

Queritur 10. An restrictio Impedimenti Affinitatis ex copula conjugali ad gradum quartum intelligi debeat etiam de Affinitate in Linea recta? Negant Hofst. in *Somma. b. tit. n. 6. §. sed nunquid*, Palæot. de *Notb. c. 6. n. 3.* Rebell. *p. 2. l. 3. q. 15. n. 6. P.* Melchior Friderich de *Consang. & Affinit. p. 2. q. 3. art. 2. n. 37.* & Magnif. P. Schmier *p. 3. de Matr. c. 3. n. 171. §. 172.* & videtur istud probari posse iisdem rationibus, quibus à *n. 34.* ostendi, Impedimentum Consanguinitatis in linea recta extendi in infinitum. Nam, ut inter Consanguineos, ita etiam inter Affines lineæ rectæ Nuptiæ Jure Civili prohibitæ sunt in infinitum prout patet ex *l. adoptivus 14. §. fin. ff. de rit. nupt. & l. non facilius 4. §. bos itaque 7. ff. de Gradib. & Affinit. &*

tradunt Vinnius §. 6. *Inst. de Nupt. n. 4.* Schneidevvin *Inst. eod. Wissenbach D. 44. §. 19.* cum alijs. hæc autem Juris Civilis constitutio non est correctæ per Jus Canonicum: ergo &c. *Conf.* Quia motivum, propter quod SS. Canones Matrimoniale Impedimentum restrinxerunt ad gradum quartum, quod scilicet in gradibus ulterioribus absque difficultate non possit observari, non stringit in Linea recta, in qua vix erit possibile, ut quis Matrimonium cum Affine ultra quartum gradum possit contrahere, obstante scilicet brevitate vitæ humanæ.

**110** *Quæritur 11.* An in tertio, & quarto gradu Affinitatis, ortæ ex copula illicita, etiam licetè contrahi possit Matrimonium? *Ratio dubitandi* est; quia olim ante Tridentinum nec licuit, nec valuit Matrimonium in illis gradibus, & Sacra Synodus tantum disposuit de validitate contractus, nulla mentione facta de ejus licentia. igitur cum juxta *l. precipimus 32. §. fin. C. de Appellat. Quidquid nova lege non est expressum, id veterum Legum, Constitutionumque regulis omnes reliquum intelligant*, restrictio per eandem Synodum facta, utpote contra antiquos Canones, ita debet intelligi, ut in tertio, & quarto gradu Contractus Matrimonij sit quidem validus, maneat tamen illicitus.

**111** Sed dubium hoc resolvit S. Pius V. *Motu proprio*, incipit *Ad Romanum edito 1566.* ubi expressè declaratur, liberè, & licetè posse contrahi Matrimonium: quo proinde *Motu proprio* viso, *Navarrus*, qui antea in edit. *1. Man. c. 22. n. 34.* tenuit priorem sententiam, opinionem suam mutavit: quem sequuntur *Petr. de Ledesm. de Matr. q. 55. art. 3. dub. ult. Rodriq. tom. 1. Summ. edit. 2. c. 228. n. 4. Vega tom. 1. Summ. v. 34. cas. 53. Sanch. l. 7. de Matr. D. 69. n. 4. Gurier. c. 99. de Matr. n. 12. Engl. hic §. 2. n. 10. §. præterea*, P. Melchior Friderich *p. 2. de consang. & affinit. q. 3. art. 2. n. 89.* Ratio est, quia Affinitas non ponit duplex Impedimentum, sed tantum unum, videlicet dirimens, quod à fortiori, dum dirimit, etiam impedit: dum ergo à Trid. quoad tertium, & quartum gradum Affinitatis, ortæ ex copula illicita, ablata est vis dirimendi Matrimonium, etiam ablata est ei vis impediendi. *Ex quo sequitur*, per *Motum proprium cit.* non inductum esse Jus novum, sed declaratum antiquius Tridentini, quod indicatur Verbo *Declaramus*, quo Pontifex in *Motu cit.* utitur.

**112** *Quæritur 12.* An illud tantum Impedimentum Gradus tertij, & quarti sublatum sit, quod contrahebatur ex simplici fornicatione; an verò etiam, quod ex Adulterio, Stupro, Incestu, & Sacrilegio? *Ratio dubitandi est*, quia *Trid. sess. 24. c. 4. de reform. Matr.* restringens Affinitatem, ortam ex copula illicita, mentionem facit solius for-

nicationis, quæ in sensu proprio accepta comprehendit duntaxat illam, quæ simplex est, & specialem malitiam adjunctam non habet. verba autem in Decretis, maximè quæ correctoria sunt, quale istud Tridentini est, in sensu proprio accipienda sunt. ergo &c.

Sed dicendum, per nomen Fornicationis in illo Tridentini Decreto intelligi omnem illicitum concubitum. Ita *Gutier. l. 1. qq. can. c. 23. n. 3.* Ludov. Lopez *p. 2. Instruct. c. 50. fol. 1159.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 67. n. 6.* Engl. *hic §. 2. n. 10. §. præterea.* & teste P. Friderich, *p. 2. de affinit. q. 3. art. 2. n. 91.* communis DD. Nec modus iste omnem Veneream intemperantiam significandi fornicationis nomine infrequens in Sacra Scriptura est, prout patet ex illo *Tob. 4. attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione.* In simili significatione accipitur *Ephef. 5. coloss. 3. Act. 15.* Ratio est, quia in omni copula illicita procedit ratio movens Tridentinum ad prædictam restrictionem, nempe quòd Impedimentum hoc communiter ignoretur, ac proinde multa ex eo damna pullulent, nisi restringatur.

*Ad Rationem dubitandi* nomen illud propriè sumitur pro omni illicita Venere, nisi ex circumstantijs colligatur tantum accipiendum pro fornicatione simplici.

**113** *Quæritur 13.* An contrahere sine dispensatione Matrimonium possint, quorum unus in tertio, aut quarto, alter in primo gradu Affinitatis, ex copula illicita ortæ, est positus? *Responsum negativè*: atque ita teste *Corrad. l. 7. prax. dispens. c. 2. n. 26. §. 27.* receptum in praxi, & stabilitum est pluribus Declarationibus S. Congr. card. concil. *Interpp.* Ratio est, quia cum distantia Consanguineorum, & Affinium in linea inæquali sumatur à distantia remotioris à stipite, hi, de quibus hic quæstio est, revera inter se distant tertio, aut quarto gradu.

*Neque obstat*, quòd in Dispensationibus faciendæ sit mentio gradus etiam propinquioris; hoc enim verum est in ijs gradibus, in quibus opus est dispensatione; in tertio autem, & quarto gradu Affinitatis illegitimæ non est opus dispensatione; ergo &c.

**114** *Quæritur 14.* Quam poenam incurrant, qui contrahunt Matrimonium in gradu Affinitatis prohibito? *Responsum.* Si scienter ita contrahant, incurrunt ipso facto Excommunicationem, ut supra dictum de Contrahentibus Matrimonium in gradu Consanguinitatis prohibito; nam *Clem. un. h. tit.* poenam istam æqualiter utriusque statuit.

Ut verò poena hæc à contrahentibus Matrimonium in gradu Consanguinitatis, vel Affinitatis prohibito incurratur, requiritur *1.* ut Matrimonium reipsa sit contractum: nec enim sufficiunt Sponsalia de futuro inter eosdem inita, ut notat *Gloss. in Clem. cit. V.*

contrahere; quia Leges poenales sunt strictae interpretationis, nec de casu ad casum extendendae. Sufficit autem, etsi Matrimonium non sit consummatum; quia in *Clem. cit.* non ponitur copula incestuosa, sed solus contractus Matrimonij, qui quoad essentiam suam perfectus est, etiamsi per copulam consummatus non sit, cum nuptias non concubitus, sed consensus faciat *l. nuptias 30. ff. de R. I. Sanch. l. 7. de Matr. D. 49. n. 6. Pirhing hic n. 45.*

115 2. Ut contractum sit Matrimonium in gradibus Consanguinitatis, & Affinitatis Lege Canonica interdictis, ut habetur *Clem. cit.* *Ex quo sequitur*, non incurri Excommunicationem istam ab eo, qui contrahit Matrimonium cum Cognata Legali, vel Spirituali, aut cum Impedimento publicae honestatis, vel alio dirimente, praeter ea, quae hic expressa sunt; quia Lex ista, ut dixi, poenalis est, & propterea extendi non debet. *Gloss. in Clem. cit. V. eos, Navar. Man. c. 22. n. 45. Sanch. l. cit. n. 14. Pirhing. n. 45. cit.*

3. Ut impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis revera subsit: & hinc si quis falsò existimans subesse impedimentum Consanguinitatis, vel Affinitatis, ineat Matrimonium, revera autem impedimentum istud non subsit, non incurrit Excommunicationem sic contrahendo; quia revera non contraxit cum tali Impedimento, & *Clem. cit.* prava voluntas non punitur, nisi opere subsecuto, sicut nec Excommunicationem incurrit, qui percutit Laicum putans esse Clericum. *Gloss. in Clem. cit. V. scienter, Sylv. V. Excommunicatio 9. cas. 41. n. 77. dub. 3. Navar. l. cit. n. 43. Sanch. n. 18. Pirhing l. cit.*

117 4. Ut Matrimonium cum tali Impedimento sit scienter contractum, ut expressè dicitur *Clem. cit.* Excusat autem à poena hac incurrenda non tantum ignorantia probabilis, & facti, sed etiam juris, & crassa, modò non sit affectata; quia quocumque scientia requiritur ad incurrendam

aliquam poenam, exigitur dolus, & mala fides *l. sed etsi 25. §. scire ff. de petit. hered. dolo autem, & scientiae aequiparatur sola ignorantia affectata. Sanch. n. 19. cum reliquis supra, & dictum est n. 64. & 65.*

5. Ut spontè, & liberè cum scientia talis Impedimenti contractum sit Matrimonium; nam contrahens per metum gravem ad id compulsus, in Excommunicationem non incidit; quia Ecclesia tam gravi Censura non punit eum, qui ad sic contrahendum compulsus est gravi metu ob imperfectionem consensus. *Gloss. in Clem. cit. V. Matrimonialiter, Navar. Man. c. 27. n. 141. Sanch. n. 12.*

6. Ut quis proprio nomine Matrimonium contrahat, vel alius ipsius nomine; nam Procurator, per quem contrahitur tale Matrimonium, non incurrit Excommunicationem istam; uti nec parentes, qui nomine filiorum consensum in Matrimonium exprimunt: imò nec Parochus, Matrimonio tali assistens, & conjungens illud ineuntes; quia in dicta *Clem.* soli Matrimonium tale ineuntes excommunicantur; isti autem non ineunt verè Matrimonium, sed solum sunt instrumentum eorum, qui verè ineunt. *Navar. n. 141. cit. Sanch. n. 3. & 4. Pirhing n. 43.* Multò minus Censuram istam contrahunt mandantes, consulentes, vel adjuvantes ad hujusmodi Matrimonium ineundum, ob rationem allatam, *DD. cit.*

7. Denique, ut scientia Impedimenti praecesserit contractum; nam si quis ignorans, & bona fide contraxit Matrimonium cum consanguinea, vel affine, etsi postea conscius Impedimenti ipsi cohabitaret, & utatur conjugio, hanc Excommunicationem non incurret. *Gloss. in Clem. cit. V. scienter, Navar. n. 20. Pirhing n. 47.* Ratio est, quia in *Clem. cit.* non punitur omnis incestus, vel incestuosa cohabitatio, sed solus contractus Matrimonij; hic autem non fit novus contractus, & per priorem non fuit incurta Excommunicatio, excusationem praebente ignorantia; ergo &c.